



N. J. F. J. B. Verjuns

ord. Praed.  
~

Pastorale

Missionarium

et

Pastorum  
~

Antuerpiae  
~

-1682-  
~

Pastorale  
Missionar

N. G. D. Joannes  
- Baptista

Verjuijs

ord. Praed.



*A. Soucary*

*Aureus  
Manibus*

*duobus  
in partibus  
men.*





PASTORALE  
MISSIONARIORVM

Cum resolutione casuum in Missionibus  
apud hæreticos & alibi occurrentium.

AUCTORE **J. R. SCHEIFLER**

R. P. F. JOANNE BAPTISTA VERJUY

Ord. FF. Prædicatorum, S. Theologie

conventus Doctore. *B. Alcolau.*

Opus tam Missionariis, quam aliis  
Pastoribus & animarum curam  
habentibus perutile.



ANTVERPIÆ,  
Apud JOANNEM BAPTISTAM VERDUSSEN,  
viâ vulgò Cammerstræct, sub signo  
duarum Ciconiarum, 1682.

**J. R. SCHEIFLER**



Qui accipit si quem misero , me accipit.

*Ioan.* 13. 20.

Sicut misit me Pater , & ego mitto vos. *Ioan.*

20. 21.

Messis quidem multa , operarii autem pauci.

*Matth.* 9. 37.

Voça operarios & redde illis mercedem.

*Matth.* 20. 5.

Pro Christo legatione fungimur tamquam

Deo exhortante per nos, 2. *Cor.* 5. 20.

## AD LECTOREM.



*Andide Lector* : Scio quod de quacumque fere materia tot haecenus libri conscripti prodierint, ut multis nauseam pariat eadem in diversis, licet diversis modis digesta, relegere. Uti etenim nihil sub sole novum ita vix scriptum aliquod de novo in lucem prodit, quod ab antiquis dudum scriptoribus non fuerit pralibatum, ita ut idem sit noviter scribere, quod est sapius jam acta agere. In hac tamen materia quam assumpsi paucos inveni, qui casus in Missionibus passim occurrentes enuclearunt. Scripsit quidem de procuranda salute omnium gentium *R. P. Thomas à Iesu*. Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, quondam per Belgium & Germaniam Provincialis, vir pientissimus, pro ut cæteris suis de Oratione scriptis comprobavit, solidissimus etiam in doctrinâ, utpote fidelissimus (uti illi Ordini Seraphicæ Matris Teresiæ mandato est proprium) Angelici Doctoris Thomæ Aquinatis Sectator. Quem secutus est Clarissimus *D. Angelus Maria Verricelli*, juris utriusque Doctor, Congregationis Clericorum Regularium Presbyter, qui de Apostolicis missionibus curiosissimos edidit

AD LECTOREM.

dit tractatus. Sed quia ipsi illa potissimum attigerunt quæ in Missionibus Orientalibus inter Paganos, Turcas, & similes infideles occurrunt, locum mihi reliquerunt de Missionibus Aquilonaribus maximè nobis vicinis inter hæreticos, aliqua tractandi. Et quia in meis visitationibus quas ex commissione S. Congregationis de propagandâ fide, per plures annos missionum nostrarum in Provinciis confœderatis Præfectus feci, de plurimis difficillimis etiam casibus consultus fui, & qui passim in illis partibus occurrunt, eos volui coadunare, & eâ, quâ fieri potuit, brevitate, communi usui divulgare. Fateor quidem pleraquæ in diversis scriptorum libris dispersa haberi, quia tamen illis in locis ad manum haberi vix possunt copiosiores bibliothecæ, nec si haberentur, eâ quâ ibi opusest facilitate inveniri, maximè à Missionariis tantis sui muneris functionibus distentis, quia etiam tot diversa sententiarum opiniones confusionem magis pariunt, quàm securitatem, utilissimum fore judicavi, illa quæ tutiora sunt seligere, certiora ab incertis discernere, laxiores sententias vitare, tutiores amplecti, ut in uno quasi compendio, parvo studio haberi possint quæ quisque tutâ securitate sequi possit & docere. Multa fortè longiores discursus requirerent, sed brevitate con-

cludere

AD LECTOREM.

cludere volui, quæ cuique minori labore & majori facilitate possint deservire. Planiori etiam usus sum stylo, ut planius intelligantur quæ resolvuntur, nec enim ostentationem ambiui, sed utilitatem.

Ut autem non super arenam fallacis iudicij, sed super firmam petram cuncta fundarem, quantum licuit usus sum decretis SS. Pontificum tam Juri Canonico insertis, quàm specialibus Bullis aut Brevis datis. Sæpe etiam recurro ad sacra œcumenica Concilia, & ad illas, quas habere potui, SS. Congregationum Declarationes, & ad praxim Ecclesiæ. Reliqua stabiliui SS. Patrum testimoniis, & Angelici nostri Magistri toties ab Ecclesiâ approbatâ doctrinâ. Quam ipsis sæpe verbis adduxi, & ubi hoc longum fuisset, rationes & fundamenta extraxi, quibus resolutiones meas roboravi. Præmissi autem in primo tractatu salutare pro adeundâ & ritè exercendâ Apostolicâ Missionē instructiones, quas præcipuè ex *Cura Pastoralis* S. Gregorij Papæ, & aureo tractatu de virtutibus seu *Paradiso anime* B. Alberti Magni, Angelici Doctoris quondam Magistri, exaravi. Sub finem annectere visum fuit tractatum de casibus tempore pestis occurrentibus, ratione contagionis ad eò jam in Missionē Hollandicâ grassantis. Pro quibus adhibui in plurimis instructionem

A 3

veri

AD LECTOREM.

verillius Pastoris animarum S. Cardinalis Archiepiscopi Mediolanensis *Caroli Borromei*, in tractatu quem tempore pestis per suam diæcesim terribiliter furentis, habitâ prius Synodo 15. Episcoporum, de Curâ pestilentia edidit, & à suis exactè observari mandavit.

Titulum autem à magno Gregorio Papa quodammodo emendicavi; qui illi tam proficuo omnibus Prælati & Pastoribus opusculo, pro titulo affixit: *Cura Pastoralis*. Inde ego in eundem ferè scopum collimans, pro instructione operariorum in vinea Missionis libellum nostrum *Pastorale Missionariorum* indigitavi. Nihilominus tamen non ipsis tantum Apostolicis Missionariis laboravi, sed omnibus etiam Parochis seu Pastoribus quibus animarum cura incumbit, plurima enim ad ipsorum omnium utilitatem inserui.

Utere igitur, *Benevole Lector*. & fructu hoc nostro labore. Et si quid dignum, & fini tuo aptum inveneris, in utilitatem tuam, & Dei gloriam impende. Vale.

TRAC-

I

TRACTATUS PRIMUS.

*De Missionariis.*

ARTICULUS PRIMUS.

*De dignitate Missionis Apostolicae.*



NTEQUAM progrediar ad specialem Missionariorum instructionem, operæ pretium erit aliqua de dignitate missionis prælibare? Quæ non potest melius ponderari, quàm ex fine, principio, & ipso usu quo exercetur. Finis est lucrum animarum, principium est fervor charitatis, usus seu exercitium est prædicatio seu doctrina, & Sacramentorum administratio. Quanti faciendum sit lucrum animarum, colligi potest ex pretio, in quo apud Christum Dominum sunt animæ, pro quibus redimendis factus est homo, & quas proprio suo sanguine redemit. Si pretiosus verè sit sanguis Christi, quanto in pretio apud ipsum debet esse anima, pro qua ipse totum usque ad ultimam guttam in cruce effudit? Si apud Patrem æternum infinite dignitatis sit unigenitus Filius suus, quantæ apud ipsum sunt animæ pro quibus ipsi non pepercit, sed pro illis omnibus tradidit

A 4

eum?

Univ. de Deo  
 2. TRACTATUS I.

cum? merito igitur proclamat S. Dionys. c. 3. cæl. Hier. *Divinarum omnium perfectionum divinissima est, Dei cooperatorem esse.* Nullum omnino tempus, non hora, nec momentum fuit, quod divinus ille bonus Pastor lucrandis animabus non impendit. Imo hoc opus vocabat cibum suum & potum; quo refici videbatur. Pro quo egregiè perpendit Theophylactus familiarem illam cum Samaritana conversationem, quando totus lassus ex itinere, & quodammodo siti exhaustus in meridie, sedebat supra fontem, Joannis 4. Accedebant discipuli offerentes cibum quem in vicinis locis coëmerant; is qui dixerat mulieri *da mihi bibere*, nolebat à discipulis cibum capere, quo reficeretur: sed ego, inquit, *cibum habeo manducare quem vos nescitis. Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me. ut perficiam opus ejus*, videlicet salutem animarum. Ideo autem mulierem rogabat ut daret sibi bibere, quia salutem illius animæ sitiebat: *Et quia*, inquit Theophylactus, *sciebat quod Samaritana totam civitatem ad se traheret.* Vocat cibum suum & potum, suave illud cum Samaritana colloquium, ut inde multorum ad se animas attraheret. Nec aliam in cruce, quam hanc spirituales sibi habebat. Magnum igitur & sublime opus est lucrum animarum. Utinam multi veri cooperatores inveniatur, qui nullum bonum tanti faciant quanti vel unius animæ conversionem, nec ullam adeo sentiant

DE MISSIONARIIS. 3

tiant jacturam, quam vel unius animæ perversionem.

Secundum pondus dignitatis missionis est Principium quo dignè debet exerceri; quod est fervens zelus charitatis. *Zelus enim*, uti bene describit Doctor Angelicus 1. 2. q. 28. a. 4. *ex intensione amoris provenit.* Id quod in igne est fervor, in voluntate est zelus amoris divini. Mittebatur à Domino Jeremias Propheta c. 5. v. 14. & ad prædicandum populo mittebatur: *Ecce ego*, inquit Dominus, *do verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna, & vorabit eos.* Ubi S. Thomas: *Dabo verbis tuis efficaciam, ut quasi ignis comburant.* Principium igitur fructuosæ missionis est zelus seu fervor charitatis; qui ipsam tepidè exercet, non est verè missus à Domino. Nullum omnipotenti tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Greg. hom. 12. Ezech. omne autem sacrificium igne perficiebatur, sic totus debet divinæ charitatis igne accendi, & accendere, qui vult offerre Deo propria & aliarum animarum sacrificium. Præfert S. Chrysost. hom. 34. hunc zelum martyrio *Qui*, inquit, *propter utilitatem proximi martyrii occasionem vel differt, vel etiam omittit, magis probatur apud Deum.* Magna charitas est omnia bona sua pauperibus erogare, *plus tamen effecoris*, inquit iterum Chrysost. hom. 3. in Epist. 1. ad Cor. *si converteris animam.*

Tertia dignitas perpendi potest ex ipso hujus

4 TRACTATUS I.

jus muneris exercitio. Quæ actio dignior esse potest, quam prædicatio verbi Dei, & Sacramentorum administratio? Et hoc in illis locis ubi verbum Dei adeo adulteratur, & Sacramenta quasi pedibus conculcantur? Prædicando funguntur Missionarij legatione Dei, unde Apost. 2. Cor. 5. 20 *Pro Christo legatione fungimur*, ubi S. Th. *id est, sumus legati Christi*. Legatus autem non suam, sed ejus à quo mittitur, agit personam; nec proprium, sed Domini sui officium exercet.

Ex his aliquod momentum appendi potest dignitatis Apostolicæ missionis, si eo quo oportet modo, & præparatione exerceatur.

ARTICULUS II.

*Quæ preparatio missionem debeat precedere, & quomodo exercenda.*

**S**alvator noster Christus Dominus missionem Apostolicam instituturus, antequam ad illam Apostolos eligeret, pernoctando in oratione seipsum voluit ad dignam electionem præparare. *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos & elegit duodecim ex ipsis.* Luc. 6. v. 12. si per orationem tam prolixam, & vigiliis integræ noctis se disponat æterni Patris Sa-

piencia,

DE MISSIONARIIS. 5

piencia, ut dignos ministros suæ missionis Sanctos Apostolos eligat; quâ non præparatione indigebunt ipsi qui ad Apostolicum istud ministerium destinantur? *Species tibi datur*, inquit S. Ambros. super illum locum, *forma præscribitur, quam debeas amulari. Quid enim te pro salute tua (imo & pro salute tot animarum) facere convenit, cum vis aliquod opus pietatis (& præcipuè Apostolicæ missionis) adoriri, quando Christus missurus. Apostolos oravit & solus & per totam noctem oravit? Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, inquit Christus Joannis 20. v. 21. ut scirent à quo, & quâ auctoritate mitterentur; ut autem rectè disponerentur, sequitur: *Hæc cum dixisset insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* Apud huc faciet pulchra doctrina B. Alberti magni quondam Magistri nostri Angelici Doctoris, in paradiso animæ cap. 26. *Zelus animarum verus & perfectus est quando aliquis sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lachrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, predicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, atque aliis bonis operibus pro salute animarum laborat.* Quanta autem hæc gratia sit, sic Beda describit: *Quenam gratia sublimior, & Deo gratior esse potest, quam eorum qui quotidiano exercitio alios ad auctoris gratiam student convertere, & crebrâ animarum fidelium acquisitione gaudium cælestis patrie semper augere? Et paulò infra: Argumentum*

6 TRACTATUS I.

veri fervoris habet, qui nec vitam propriam, nec corpus curat, ut plures animas Christo lucrifaciat. Hunc zelum David habuit cum dixit: *Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te Absalon fili mi, fili mi Absalon?* 2. Reg. 18. v. 33. Et Apostolus cum dicit: *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris* 2. Cor. 12 v. 15 Et iterum: *Quotidie morior propter gloriam vestram fratres, id est, mortis pericula sustineo.* 1. Cor. 15 v. 31.

Mittendus erat Moyse ad eruendos filios Israël ex Ægyptiaca captivitate; Quæ & quantitas non præcedunt ut ad istam missionem probetur idoneus? Legatur totum caput 3. Exod. Apparet in primis Dominus in rubo ardenti, quo significabatur zelus ardens in spinis difficultatum. Cavetur Moyse ne appropiet ad rubum nisi prius soluto calceamento de pedibus, scilicet operibus mortuis ab affectu, ut exponit gloss interlin. Pro signo legitimæ missionis mandatur Moyse, ut mittat manum in sinum, quæ apparuit leprosa, quo significabatur cognitio propriæ fragilitatis. Si tot & tantis signis preparari debebat Moyse ad missionem pro redemptione à captivitate corporali ex Ægypto, quanta requiretur dispositio ad missionem pro redemptione animarum à captivitate æternæ damnationis? Cognoscat ergo Missionarius se mitti ad opus maximè arduum, significatum per spinas, sed opus est ut ardeat fervorè charitatis inter tot vepres

DE MISSIONARIIS. 7

vepres persecutionum. Solvat calceamenta ex pedibus, scilicet ab affectibus passionum, per veram mortificationem; imponat manum in sinum, & propriam imperfectionem agnoscat, nec præsumat tantum opus aggredi nisi suffultus divinâ gratiâ, quæ lepram propriæ fragilitatis abstergat. Appositè huc veniet modus quo Sanctissimus Pater noster DOMINICUS verus animarum zelotes, dum aggrederetur missionem contra perversissimos hæreticos Albigeneses, est usus. Erat in Comitatu Episcopi Tholosani Fulconis & aliquot Abbatum, quos omnes Pontifex ad spiritualem illam expeditionem destinaverat. Monet ipse Fulconem ut Episcopali pompâ abjectâ hæreticam superbiam humilitatis exemplo expugnet, detrahit sibi calceos, rogat Episcopum ut idem faciat, cæteri Comites imitantur, & hoc humilitatis cultu per loca devia, per spinas & vepres ad locum accedunt, ubi cum hæreticis prædicationibus & argumentis erat decertandum. Et numquam præclariorem retulere victoriâ. Nec mirum, cum enim hæreticorum Pater sit superbus Satanas, nulla esse possunt efficaciora arma ad ipsos debellandum & confundendum, quàm exercitia humilitatis, orationis & cæterarum virtutum.

TRACTATUS I.  
ARTICULUS III.

*An magis requiratur in Missionario doctrina quam bona vita.*

Certum est quod utrumque necessariò requiratur, nec enim proderit doctrina seu magna scientia sine bona vita, nec bona vita sufficiet sine doctrina; Ex utroque enim defectu, magni in Ecclesiam irreperunt errores. Sine virtute enim evanescit doctrina. Et hoc est quod in antiquis Philosophis Apostolus improbabat Rom 1. v. 21. *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et inde dicit provenisse idololatriam, & alia gravissima peccata. Unde etiam ortæ sunt omnes ferè hæreses, ex superba elatione, & inflante scientia. Hugo Card. ad illa verba Apostoli 1. Cor. 8. v. 1. *Scientia inflat, charitas adificat.* Profert S. Bernard ubi dicit: *Cibus indigestus corpus corrumpit, & inflatum hydropicum facit, si digestus fuerit, nutrit; ita scientia stomacho animæ ingesta si non fuerit igne charitatis decocta, malos humores generat.* Isti sunt illi mali humores errorum & hæresum, qui tot Regna & Provincias, etiam hoc nostro

DE MISSIONARIIS. 9

nostro sæculo infecerunt. Defectus etiam scientiæ & doctrinæ non rarò nocuit Ecclesiæ, maxime dum illi qui alios debent erudire, rudes sunt & ignorantes, qui simplicitate suâ vel novos errores exercitatio suo ingenio excogitant: aut non habentes capacitatem ut hæreticorum arrogantia resistant, à veritate auditum avertunt. Utrumque igitur Apostolico operario est necessarium, multò magis tamen bona vita quam doctrina. Testante Christo Domino Matth 5. v. 19. *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum, qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum.* Sapientes sunt sal terræ, sed si sal per defectum charitatis evanuerit, in quo salietur? ad nihil valet ultra, nisi ut mittatur foras & conculectur ab hominibus. Mellissius Bernardus agens de Præcutfore Domini, misso ut ipsi viam prepararet, sic loquitur serm. de Nativ. S. Joannis Bap. *Ille erat lucerna ardens & lucens: Est enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum, ardere & lacere perfectum.* Et serm. 4. de verbis Isaïæ: *Vt quid tu qui mane oriebaris Lucifer in veritate non stetit, nisi quia Seraphim non fuisti? habuisti lucem, sed ardorem non habuisti, melius esset si ignifer magis esses, quam Lucifer.* Idem dici potest illis qui vanè de sua scientia gloriantes, ardent ut vanè luceant, & virtutem negligentes, non lucent ut ardeant. Ad hoc nostrum propro-

IO TRACTATUS I.

propositum faciet id quod in Concilio Nicensino factum refert Baronius & Spondanus ad an. 325. Quod cum in illo Concilio de fide ageretur cum acutissimo quodam Philosopho, qui licet à cæteris dicti Concilij Patribus abundè convinceretur, vanis tamen effugiis humanarum rationum inaniter se ut victorem jactabat, nolens perversum suum iudicium in obsequium fidei captivare; Sanctus Episcopus Spiridion vir nullius eminentis doctrinæ, sed sinceræ fidei principiis innixus, inter reliquos Concilij Patres assurgens, simplicissimâ Symboli fidei confessione Philosophicas illas argutias adeo efficaciter confudit, ut præsumptuosus ille arguator Sanctæ fidei manus daret, & se sanctæ simplicitati Spiridionis Episcopi victum submitteret.

Necessaria est igitur scientia pro animarum ad fidem conversione, magis tamen vitæ bonitas, sine qua quæcumque humana doctrina nihil omnino proderit ad salutem. Ac proinde potius eligendi sunt ad missionem qui sunt bonæ vitæ, quam qui videntur esse magnæ doctrinæ sicut Christus infirma mundi elegit, scilicet Apostolos piscatores.


ARTI-

DE MISSIONARIIS. II

ARTICULUS IV.

*De recta intentione & fine hujus functionis.*

**D**E hac materia aptissimè prosequitur B. Albertus Magnus loco supra citato in Paradiso animæ: *Argumentum falsi fervoris habet qui de spiritualibus operibus magis sollicitus est pro muneribus, quam pro animabus. Et qui amplius laborat pro amicitia hominum, vel favore, quam pro eorum sanctitate & perfectione. Talis non potest dicere cum Apostolo, non quero qua vestra sunt, sed vos, 2. Cor. 12. v. 14. Notandum autem quod ubicumque duo movent ad aliquod opus, scilicet Deus & aliquid aliud, difficulter cognoscitur quid plus moveat, verbi gratiâ, aliquem movet ad audiendas confessiones, vel ad aliquod spirituale, salus animarum, & spes lucri, vel favor, vel placencia, vel libertas, vel aliqua alia delectatio, hic difficulter discernitur quid istorum magis afficiat animum laborantis, & operantis. Attamen evidens argumentum est quod aliquid prædictorum magis moveat, quam Deus vel animarum salus: cum audit quis libentius divites, nobiles, juvenes & formosos quam pauperes, ignobiles, senes & deformes. Et cum sepius & diutius delectatur esse cum ipsis, quam cum illis, & fortè cum minori fru-*


 tu, cum tamen illi tam sanctas conscientias habeant, quam isti, vel sanctiores: & tantum vel amplius obediant consilii quam isti, & tantum vel plus studeant perfectioni quam isti, & tantum vel plus placeant Deo quam isti, teste Iacobo 2. v. 5. Nomen Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonoratis pauperem: Scilicet ipsum non curantes, in quibus tamen Christus maxime honoratur. Hec Albertus. Quod etiam confirmari potest ex illis signis que Christus Dominus dari curavit Joanni Præcuratori suo, qui ad eum miserat discipulos, ut inquirerent, an ipse esset qui venturus erat, scilicet Messias. *Ite annuntiate Joanni que vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Et tandem id quod ad rem nostram facit: *Pauperes evangelizantur* Matth. 11. v. 5. Imo Luc. 4. v. 18. refertur ad Christum Salvatorem illud Isaïæ 61. v. 1. *Evangelizare pauperibus misit me.* Tanti est pauperibus & non tantum divitibus prædicare, ut meritò inter signa reputetur, quibus Adventus Salvatoris innotuit, & quod hic proprius finis fuerit missionis suæ quâ à Patre missus est in terram, pauperibus evangelizare. Ideo autem majus quid est & laudabilius pauperibus prædicare quam divitibus, quia à pauperibus nihil nisi lucrum animarum sperandum est, quod solum debet ab Evangelico Missionario intendi. Non pro-

prohibetur autem etiam divitibus prædicare, sed cavetur ne temporale lucrum intendatur. Et hoc est quod S. Apostolus Petrus omnes monet Pastores 1. Pet. 5. v. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratiâ.* Missurus Dominus primum inter Prophetas Isaïam, postquam ipsius labia per unum de Seraphim ignito calculo sumpto ex igne altaris purgari fecerat, ut ulterius mittendi aptitudo probaretur, quem, inquit, *mittam* & *quis ibit nobis?* Respondit autem Propheta: *Ecce ego, mitte me.* Quem locum exponens Angelicus Doctor, nobis, inquit, *aquisitivè sumitur, quasi diceretur: quis ibit ut non quarat vanum honorem aut lucrum, sed nobis?* Omnes enim, inquit Apostolus Philip. 2. v. 21. *Qua sua sunt quarunt, non que sunt Jesu Christi* cujus sunt animæ; ad quas lucrandas & in fide fovendas, Missionarij mittuntur.

## ARTICULUS V.

*De Eleëmofynis quibus Missionarij sustentantur.*

**I**N præcedenti Articulo avaritiam damnavimus & turpe lucrum, neutiquam tamen eleëmofynas fidelium, quibus Pastores, & operarii



14 TRACTATUS I.


operari in vinea Domini alantur, illas enim ipse Salvator noster Apostolis quos mittebat concessit Luc. 10. v. 7. *Dignus est enim operarius mercede sua.* Prohibuerat quidem ipsis portare peram aut sacculum, sed hoc ideo quia volebat eis per eleemosynas providere de necessariis quod expresse inde infert S. Greg. Rom. 17. *Qui peram & sacculum portare prohibuit, sumptus & alimenta ex predicatione concedit, dignum est enim ut ab eis terrena stipendia consequamur, quibus patrie celestis premia offerimus.* Et Aug. lib. 2. de consensu Evang. cap. 30. *Satis ostendit cur eos hac possidere ac ferre noluerit; non quod necessaria non sint sustentationi huius vita, sed quia sic eos mittebat, ut eis hac debere demonstraret ab illis ipsis quibus Evangelium credentibus annuntiarent, tamquam stipendia militantibus, tamquam fructum vinea plantatoribus, tamquam lac gregis Pastoribus.* Unde Paulus dicit 1. Cor. 9. v. 7. & sequentibus. *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? numquid secundum hominem hac dico? an & lex hac non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis os bovi trituranti Numquid de bobus cura est Deo? an non propter nos hoc dicit? Et infra Si nos vobis spiritualia seminamus? magnum est si nos carnalia vestra metamus? nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt?*

¶

DE MISSIONARIIS. 15

*¶ qui altari deserviunt, cum altari participant ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

Inquiri autem hic potest quid fieri debeat de superfluis quae ex eleemosynis recipiuntur, & quae propriae sustentationi non sunt necessaria. Utrum ex his coacervare sibi possint thesauros? an prodigè ultra necessitatem expendere? Pro cuius resolutione supponendum est, multa in illis locis esse necessaria praeter victum, & amictum, debitam suppellestem, famularum domus conductionem, & alias expensas tam publicè quàm secretò faciendas Reservari ergo possunt quae praesenti necessitati quidem videntur superflua, praevidentur tamen fore aliquando necessaria. nec sine fidelium gravamine tunc possent acquiri. Cavendum tamen ne sub hoc pallio latitet avaritia, & insatiata habendi concupiscentia. Vituperandum omnino est, illa quae ex eleemosynis pro necessitate verè sunt superflua, superfluis usibus impendere, uti conviviiis, quae etiam apud Episcopos debent esse frugalia, pretiosae suppellectili, vestibus sumptuosis, numerosae Bibliothecae, quam curiositas potius adornat, quàm discendi desiderium. Imo nec laudari aliquando potest ex illis pretiosa ornamenta Ecclesiae conficere. Quae ex eleemosynis Missionario sunt superflua, pauperibus fidelibus sunt necessaria, Quae necessitas in illis locis ex hoc major est, quod



## 16 TRACTATUS I.

quod sæpè , ut habeant unde vivant , ad hæreticos declinent , & sic non tantùm paupertatem corporalem , sed & spiritualem incurrant . Interdum etiam , imò & sæpè sæpius aliqui ad fidem Catholicam redirent , si haberent unde viverent . Illis & similibus usibus impendenda sunt illa quæ Missionariis sunt superflua . Si de superfluis suis quicumque dives dare debet eleëmofynas , saltem in gravi necessitate ; quanto magis Ecclesiastici operarii missi pro lucro animarum , quando ipse vel in periculo sunt ut perdantur , vel in spe ut convertantur , dummodo quod ipsis necessarium est erogetur . Cogitent se non est Dominos , sed dispensatores : imitentur Evangelicum negotiatorem quærentem bonas margaritas : *Inventâ autem unâ abiit , & vendidit omnia quæ habuit & emit eam . Matth 13 . v . 45 .* Nulla tam pretiosa margarita quàm anima . Missionarii verò spirituales negotiatores sunt , si igitur mittantur , ut animas quærant , inventas emant , seu potius redimant , etiam impendendo ea quæ ipsis debent pro minimo æstimari , bona temporalia quæ suæ necessitati superfluant . Eapropter nuper à Sanctissimo Domino Alexandro VII . moderno Pontifice mandatam fuit ad petitionem S . Congreg . de Propag . fide die 1 . Octob . 1663 . ne legata , eleëmofynæ , oblationes & cætera hujusmodi cujuscumque valoris , ex missione extrahantur , sed impendantur , primò quidem

in

## DE MISSIONARIIS . 17

in beneficium & manutionem ac necessarium usum missionis : deinde in pauperum Catholicorum auxilium & sublevamen erogentur . Unde fit ut Missionarii omnes possint & debeant superflua sua in tales pauperes , necessitatem habentes , distribuere , & per hoc vacillantes confirmare , & aberrantes allicere .

### ARTICULUS VI.

*Bonis exemplis edificari debent tam fideles quàm infideles .*

**O**lim Apostoli & primitivi ipsorum successores miraculis se probabant , tamquam veros Apostolici muneris ministros : quibus infideles excitabantur , ut ipsorum verbis crederent , miraculis bona & sancta vita accedebat . Modò verò cum miracula desint , vita exemplaris id præstare debet quod per miracula fiebat . Cum Moyse adferret populo legem quam in monte acceperat à Domino , resplendebat facies ejus luminosis radiis , ut sic efficacius mentes audientium legem illuminaret . Tale lumen voluit Dominus resplendere in moribus discipulorum suorum Mat . 5 . v . 16 . *Sic luceat lux vestra coram hominibus , ut videant opera vestra bona , & glorificent Patrem* us .

vestrum qui in caelis est. Ubi S. Thomas: Informat eos quoad modum docendi, unde dicit, sic luceat lux vestra, id est doctrina. Secundo quoad manifestate doctrina per opera bona confirmationem. Unde subdit: ut videant opera vestra bona. *Glos Opera requiro, ut videantur & sic doctrina confirmetur. Iac. 2. v 12. Sic loquimini & sic facite. Chrysof. nomen Dei per eos blasphematur qui non faciunt quod docent. Et postea adducit S. Bernardum dicentem: Lingua magnifica & manus otiosa, doctrina lucida, & vita tenebrosa, est monstruosa.*

Pulchrè ad hoc S Gregor. par. 3. Curæ Past. cap. 6. agens de opere Prædicationis & voce, sic ait: Prædicator quisque plus actibus quàm vocibus insonet, & bene vivendo vestigia sequacibus imprimat, ut potius agendo, quàm loquendo quo gradiatur ostendat. Quia & Gallus quem pro exprimenda boni Prædicatoris specie in locutione sua Dominus assumit, cum jam edere eantus parat, prius alas excutit, & semetipsum feriens vigilantiorē reddit. Quia nimirum necesse est, ut hi qui verbo Sanctæ Prædicationis monent, prius studio bonæ actionis exvigilent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce. Prius se per sublimia facta excutiant & tunc ad bene vivendum alios sollicitos reddant. Prius cogitationum alis semetipfos feriant, quidquid in se inutiliter torpet, sollicitâ investigatione deprehendant, districtâ animadversione corrigant, & tunc demum aliorum vitam loquendo

com-

componant. Prius punire propria stribus curent, & tunc quæ aliorum puniendæ sunt denuntient, & antequam verba exhortationis insonent, omne quod locuturi sunt operibus clament. sic Greg.

Idem hom. 17 in Luc. c. 10. sic ad propositum loquitur: Tunc verè aliis recta prædicamus, si dicta rebus & exemplis ostendimus. Nullum puto fratres charissimi ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus: quando eos quos ad correctionem aliorum posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus qui compescere peccata debuimus: nulla animarum lucra quarimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intentâ mente captamus, &c. Si lumen quod in similibus animarum curam habentibus tenebræ sint, ipsæ tenebræ simplicium hominum qui erudiendi sunt, quantæ erunt? contra similes Apostolus invehitur Rom 2 v. 21. Qui ergo alium doces, reipsum non doces? qui prædicas non furandum furaris. Et ibidem v. 3. Existimas autem hoc? ô homo qui iudicas eos qui talia agunt & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? Terribilis planè est sententia, & omnibus formidanda, ne dum mittuntur ad lucrum animarum, illas perdant potius pravis exemplis, quàm lucratur.

Cavenda sunt autem præ aliis scandala contra castitatem, propter pericula & occasiones quibus in illis locis implicantur. Habitant

B

quo.

quodammodo soli, & sine testibus cum mulieribus conversantur, & hoc in seculari veste, unde planè mirum hæreticis videtur quod in tot occasionibus se contineant: dicente de suo tempore Petro Apost. 1. Pet. 4. v. 4. *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuria confusionem.* Quod meritò dici potest in nostris missionibus, propter hæreticos adeo concupiscentia carnis devotos, ut sibi persuadere vix valeant, quod Sacerdotes & Religiosi continentiam observent, quam promittunt Vitanda sunt igitur offendi-cula. In Con Nicæno Can. 3. sic habetur: *Omnibus modis interdixit Sancta Synodus neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono neque ulli Clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam, nisi fortè mater, aut soror, aut avia, aut amita vel matertera sit. In his namque solis personis & harum similibus, omnis qua ex mulieribus est suspicio declinatur. Qui autem præter hæc agit, periclitatur de Clero.* Idem cavetur in Conc. Eliberit. cap. 27.

Imo S. August. ne quidem propriam sororem sibi cohabitare sinebat. Cavendum est planè maximè in illis partibus ab omni specie mali. Et hoc præcipue in audiendis confessionibus, circa quas S. Carolus Borromæus salutare planè suis Pastoribus regulas præscripsit, videlicet ne usquam nisi in Ecclesia confessiones audirent, maximè fœminarum, & non nisi cum sola, numquam verò in ipsarum

farum domibus, nisi dum per infirmitatem id aliter fieri non posset, & tunc quidem aperto ostio cubiculi Optandum ut idem in missionibus ubi periculum majus est, & teneriores conscientia ad scandalum, exactè observaretur, & caveretur ab omnibus quibus proximus scandalizatur.

## ARTICULUS VII.

*De scientia requisita in Missionario.*

**M**agnus ille & sanctitate & doctrinâ Papa Gregorius, proficuum illum suum tractatum de cura Pastoralium sic exorditur: *Nulla ars doceri præsumitur, nisi intentâ prius meditatione discatur.* Ab imperitiis ergo magistrum Pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars est artium regimen animarum. *Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum?* Et tamen sepe qui nequaquam spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se medicos prosteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Et intra: *Pastorum imperitia voce veritatis increpatur cum per Prophetam dicitur Isai. 56. v. 11. Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam.*

22 TRACTATUS I.

Et S. Hieron. in Aggeum Proph. *Considera Sacerdotum esse officium de lege interrogatos respondero: si Sacerdos est, sciat legem Domini, si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse Sacerdotem Domini. Sacerdotis enim est scire legem Domini, & ad interrogationem respondere de lege.*

Hinc namque, inquit ubi supra S. Gregor. in Evangelio per semetipsum veritas dicit: Si cecus ceco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt Matth. 15 v. 14.

Ut autem ad particularia descendamus, praemittemus ea quae S. Thomas in ministris Ecclesiae requirit quoad scientiam credendorum 2. 2. q. 2. a. 6. inquirens utrum omnes aequaliter teneantur ad habendam fidem explicitam, sic respondet: *Explicatio credendorum fit per revelationem divinam. Credibilia enim naturalem rationem excedunt. Revelatio autem divina ordine quodam ad inferiores pervenit per superiores, sicut ad homines per Angelos, & ad inferiores Angelos per superiores, ut patet per Dion. de cal. Hier. Et ideo pari ratione explicatio fidei oportet ut perveniat ad inferiores homines per majores, & ideo sicut superiores Angeli qui inferiores illuminant, habent plenioram notitiam de rebus divinis quam inferiores, ut dicit Dion. c. 12. cal. Hier. ita etiam superiores homines ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere plenioram notitiam de credendis, & magis explicitè credere. Quae doctrina aptissimè con-*

venit

DE MISSIONARIIS. 23

venit Missionariis & aliis Pastoribus: ipsi enim in suis muniis consentur superiores esse, ut fideles instruant, & haereticos convincendo convertant: exercent etiam officium Angelorum, sicut enim Angeli mittuntur & à missione seu nuntiando Angeli nominantur, ita & operarii missionis sunt quodammodo Angeli, missi ut alios in fide & moribus illuminent, ac proinde opus est ut prius in se lumen habeant & scientia polleant, quam in alios derivent.

Illuminare autem debent alios. Primò in Sacra Scriptura; cum enim agant apud haereticos, qui omnes suas controversias ad purum Dei verbum remittunt, textum passim falsificant, & sensum ad suos errores detorquent, necessarium prorsus est, ut fidelium in illis locis instructores in Sacris Bibliis perfectè sint eruditi. Tum etiam quia teste Apostolo 2. Tim. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sis homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

Secundò debent versatissimi esse in controversiis fidei, ut doceant gregem sibi commissum dignoscere bona pascua à malis, & distinguere verum alimentum à veneno. Hier. 15. v. 19. *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris,* Tum etiam ut parati sint satisfactionem dare in materia fidei omni poscenti,

B 3

ut

ut requiritur 1. Pet. 3. v. 15. Imo & arguere, sic exigente necessitate, ipsos hæreticos, uti monet Apostolus Titum cap. 1. v. 9. qualem oporteat esse Episcopum, videlicet *amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Tametsi enim, uti infra dicitur, non facile debeat Missionarius suscipere disputationem cum hæreticis, paratus tamen esse debet, cum per eorum insultus, & ipsius taciturnitatem negotium fidei defensionem exigit. Præterea si aliquis malè ab hæreticis imbutus instructionem petit, & ipsorum argumenta, quæ sæpè multis technis involvuntur, dissolvi; expeditus debet esse Missionis minister, & sufficientem habere scientiam, ut talem in fide instruat, instructum confirmet, & vacillantem confortet, extricando ab apparentibus nodis quibus à veritatis semita detinebatur. Ne & talibus contingat illa civitatis Hierusalem infelicitas: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Thren. 4. v. 4.

Tertiò. habere debent scientiam eorum quæ ad integritatem & usum Sacramentorum requiruntur, ne ex defectu talis scientiæ indebitè, fortè etiam invalidè Sacramenta ministrantur. Maximè verò quoad Sacramenta Pastoralia dum facultatem habent illa ministrandi. Et hoc non solum quoad materiam, formam, & ceremonias requisitas, sed etiam quoad

quoad significationem rituum, qui in illorum administratione exercentur, ne mortuo modo conferantur, & sic magis hæreticis ludibrio exponantur.

Quartò. Requiritur scientia præceptorum Dei & Ecclesiæ, quæ in ore Pastorum quodammodo masticari debent, ut congruè parvulis in fide ingerantur, & cum fructu addiscant; retineant & observent. Pro quo oportet exactè pervolvere casus conscientiæ, & totius moralis Theologiæ sanas & securas resolutiones, ne ex defectu talis scientiæ populus in multis à rectè operando aberrat; & licet per ignorantiam excusetur, Pastores & Missionarii peccata populi comedant, & aliorum iudicium & fortè condemnationem in se convertant.

Quintò. Tandem scire debent, & se exercere in doctrina mystica circa virtutes, & vitia, orationem, meditationem, modum se mortificandi & tendendi ad perfectionem. Illa enim etiam spectant ad pascua spiritualia; ut animæ ad vitæ perfectionem promoveantur.

## ARTICULUS VIII.

*Docere debent sententias tutiores non laxiores.*

**T**ametsi utrobique periculosa sit novarum opinionum laxitas & quidquid sentiendi libertas,

libertas, ex qua tota ferè moralis doctrina & fidelium mores depravantur: in partibus missionis omnino cavenda est: quia non parva materia scandali est tam vacillantibus Catholicis, quàm obstinatis hæreticis, dum Ecclesiastica præcepta, imo & aliquando divina, patiuntur tot novarum opinionum probabilitates, ut vix unquam desit pallium, quo eorum transgressio non tegatur. Ipsi hæretici in suis à se institutis observantiis, omni rigore cōguntur obedire, ita ut in hoc verum sit illud Luc. 16. v. 8. *Filij hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Dum jejunant usque ad vesperam jejunium producant; dum publicæ orationes indicuntur, nemini se subtrahere permittitur, obserantur officinæ, portæ civitatis clauduntur, & toto ferè die in Ecclesiis psallendo aut orando commorantur; Dominicis item diebus tempore sui in Ecclesiis exercitij, nemo in tabernis, nemo in plateis, nec ipsi quidem pueri audent comparere. Dum Calvinistica cæna præparatur, ad illam pridè imo aliquot ante diebus, de digna sumptione admonentur; dissidia & inimicitia, si quæ habentur, componuntur. In contribuendis eleëmofynis pro Sectæ suæ (ut vocant) fratribus suis, seu membris tanta est largitas, ut vix sit inter illos qui verè necessariis indigeat. Quæ omnia mirè simplicium mentes alliciunt, respicientium ad corticem tantum externæ alicujus observantiæ, & non

ad

ad medullam veræ fidei. Ex adverso verò nihil adeo Catholicorum tepidorum animos debilitat, quàm blanda nimis observantiæ præceptorum indulgentia, quâ vix quidquam non licere præsumitur, & pro libitu præcepta interpretandi libertas conceditur. Sacramentum Pœnitentiæ quod vel solum deberet peccantium vulnera curare, adeo jam apud plerosque viluit, ut ipsis potius liberius peccandi occasionem præbeat, quàm remedium. Vix audet Sacerdos pœnitentes corripere, acriores pœnitentias injungere, salutarem dolorem exigere: omnia tamquam levia, tamquam secura, tamquam tuta, quia probabilia sunt, permittuntur. Non valent tam blandè corporalia sibi vulnera curare, ne aliquando non satis expressa sanies, majori malo intus putrescat. A jejunio levissima debilitas eximit; ab audiendo Sacro minima indispositio, aut parvus labor subeundus. A dandis eleëmofynis, quævis excusat apparens necessitas; Et ne singula referam; arcta via & angusta porta quæ ad vitam ducit ocluditur, & lata porta, & spatiosa via ab indulgentioribus animarum ductoribus aperitur. Et dum miseris Catholicis (ut dicunt) in illis persecutionibus fingunt consolationem, adulando laxioribus suis opinionibus, inquietos reddunt (si timorata sint conscientia:;) dum nec sibi tantum audent abblandiri, aut si liberioris sint animi, hoc apud ipsos efficitur ut præcepta parvipendere inci.

B 3

incipiant, & dum leviter metam excedere permittitur, pleno cursu transgrediantur.

Ezech 13. v. 18. *Consuunt pulvillos blandioris indulgentiæ, sub omni cubito manus: scilicet operis, & faciunt cervicalia probabilis securitatis sub capite univ[er]se atatis ad capiendas animas adulatoriis suis opinionibus.* Super quem locum noster Hugo Cardinalis. *Hoc contra molles & effeminatos Sacerdotes, qui alios decipiunt adulationibus. Pulvillus siquidem fit, ut super illum molliter quiescat, ps. 9. laudatur peccator in desideriiis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Isti sunt caupones Diaboli Isai. 1. Caupones tui miscunt aquam vino; & ps. 54. Molliti sunt sermones suos super oleum, & ipsi sunt jacula Matth. 8. sequere me & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Ibi dicit Gregor. mortuus mortuorum sepelit cum peccator peccatorem aggere adulationis primit Isai 3. Popule meus, qui te beatum dicunt ipse te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Prosequitur Propheta: *Vivificabant animas eorum, & violabant me ad populum meum. Ubi iterum Hugo: Vivificabant, id est, vitam eis promittebant, & violabant, &c. quia eis impunitatem promittentes, iustitiam à me excludebant.* Vitanda est igitur ab omnibus doctrinæ novitas; quod Apostolus multum inculcabat primis Episcopis Timotheo & Tito: huic quidem Tit. 2. v. 1. *Tu autem loquere quæ decet sanam doctrinam, & v. 8. verbum sanum irreprehensibile.**

Illi verò Tim. 1. v. 13. *formam habe sanorum verborum* Illa sola doctrina sana est, & verbum sanum, quod adfert sanitatem; & unde nemo infirmatur, nec in fide nec in moribus.

## ARTICULUS IX.

*Qualiter debeant populo predicare.*

**C**oncilium Trid. sess. 5. c. 2. verbi Dei Concionatores sic admonet: *Plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandæque, eis cum brevitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quæ sectari oporteat, ut poenam æternam evadere, & celestem gloriam consequi valeant.*

Primò. Requiritur ut se accommodent capacitati plebis erudiendæ, sic Apostolus 1. Cor. 3. v. 2. *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.* Abstinendum ergo à subtilibus conceptibus qui non ædificant, nec prodesse possunt rudi populo, qui eruditione indiget. S. Thomas in Cant. c. 4. v. 2. exponens verba sponsi celestis quibus pulchritudinem sponsæ suæ Ecclesiæ describit, accedens ad id, quod ibi habetur de dentibus, *Dentes tui sicut greges*

sonsarum, dicit: Per dentes Ecclesia doctores  
sive Prædicatores figurantur, dentibus enim  
cibus commolimus, & masticamus. Et bene  
dentibus conformantur, quia spirituales cibos  
quos simplices capere nequeunt, ipsi quodammodo  
exponendo comminunt. Clarè igitur & planis  
verbis proponenda sunt fidelibus quæ scire  
debent, ita ut aliter prædicetur coram magis  
intelligentibus, qui solidum cibum perspi-  
caciore intellectu possunt per se digerere, aliter  
rudioribus, quibus masticari quodammodo  
debent mysteria, quæ non tam facilè possunt  
capere. Et quia vix fieri potest ut omnes pari  
intellectu polleant, qui simul ad audiendum  
verbum Dei conveniunt, ita modus dicendi  
aptandus est ut omnes fructum percipiant.

2. Requirit S. Conc. ut non multis verborum  
illecebris utantur: Sed annuntiando eis cum  
brevitate & facilitate sermonis; de quo pulchrè  
Chrysostr. serm. 18. Si quid spiritualis intelli-  
gentia lateat, scire volumus, verborum flosculos  
non queramus. Qui maturitatis fructus querit,  
despicit amœna camporum, viola, rose, lilia,  
narcissus, grati flores, sed gratior panis. Quod  
est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus;  
quod dat panis vitæ, hoc scientia dat salutem.  
Seponenda est ergo eloquentiæ voluptas, quando  
scientia repositur fortitudo. Verè fortiter agen-  
dum est contra peccatores, non fistulâ quæ  
magis sopire potest quàm à somno excitare;  
voce magnâ clamandum est, ut quattriduanus


seu

seu inveteratus peccator exciteretur. Audiebantur  
tonitrua, micabant fulgura, clangor buc-  
cinæ vehementius perstrepebat, quando  
Moyses in monte Sinai legem Domini acci-  
piebat Exod. 19. v. 16. dum mitteretur Isaias  
Propheta ad prædicandum: Clama, inquit  
Dominus, ne cesses, quasi tuba exalta vocem  
tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, &  
domui Iacob peccata eorum. In sonitu tubæ  
nihil dulce est, quod blandiatur; deterrendi  
sunt peccatores ut peccata displiceant, non ut  
ipsis eloquentia placeat Prædicatoris. Qui  
lethargo laborat, aut peste, nolit sibi medicum  
abblandientem, sed urentem, secantem, vellen-  
tem, ut à somno excitetur, aut malum in  
tempore præscindatur. Appositè hoc deducit  
Seneca Epist. 75. Nec delectent verba, sed pro-  
sint Eloquentia sit talis, ut res potius quàm se  
ostendat. Non querit ager medicum eloquentem,  
sed sanantem. Quid aures meas scalpis? quid  
oblectas? Aliud agitur: urendus, secandus,  
abstinendus sum; ad hæc adhibitus es, curare  
debes morbum veterem, gravem, publicum.  
Tantum negotii habes, quantum in pestilentia  
medicus. Circa verba occupatus es? Iam dudum  
gaude, si sufficis rebus.

Tertiò, mandat Concilium ut plebes pas-  
cant salutaribus verbis. Hic breviter aliquid  
dicendum est de illis Concionatoribus, qui  
potius ludicris suis verbis histriones agunt,  
quàm divini verbi præcones; non potest ma-

B 7

jor



TRACTATUS I.

32

jor rei tam sanctæ fieri irreverentia ; non potest magis verbum Dei profanari. Cogitent se ministris esse sapientiæ æterni Patris. Legatos Regis Regum , & verbi Divini disseminatores. Non projiciant in ventum vanitatis illud tam pretiosum semen , quod non nisi in mundo corde , seu terra bona fructificat. Non seminant jocos , non serant paleas , sed verum semen quod est verbum Dei cum debita sollicitudine dispergant , & seriâ gravitate proponant. Sed verè dolendum est quod jam advenisse videamus periculosum illud tempus quod aliquando Apostolus prædixit 2. Tim. 4. v. 3. *cum sanam doctrinam non sustinebunt , sed ad sua desideria concervabunt sibi magistros prurientes auribus , & à veritate quidem auditum avertent , ad fabulas autem convertentur.* Nec mirum quod populus à veritate se avertat , quæ ipsi non nisi per fabulas , aut mimicè proponitur. Et quem tandem finem vel fructum expectant nisi risum , cachinnos & vanos applausus ? imo ut populus minùs ædificatus abscedat quàm à prophanis scenis ? ineptus planè esset colonus , qui loco quod agrum aratros profcinderet , nocitura evelleret , bonum semen seminaret , paleas tantùm spargeret , & cantibus tempus consumeret. An non ineptior ludicet Concionator , qui animas pretioso Christi sanguine rigatas , non nisi fabulis pacificis , ludo & jocis oblectat , & Dei verbum facitis sermonibus adulterat ? An non improbus

apud

DE MISSIONARIIS. 33

apud omnes ovium Pastor haberetur , qui oves sibi commissas in arido campo detineret , & solo fistulæ modulantis sono delectaret , ipsas subsilire faceret , sed jejunas quam tandem ab hero suo mercedem expectaret , dum macilentas oves sine pascuis reduceret , non secus facit spiritalis Pastor , si Pastor dici possit , & non mercenarius.

Quis non detestetur nutricem quæ parvulum non lacte aleret , sed solis osculis , & cantilenis demulceret ?

Quis non pœnis dignum judicaret Advocatum , qui etiam amplâ promissâ mercede , causam Pupilli susceperet ; & nihil in jus produceret , nihil scribendo adversario reponeret , quàm jocos & fabulas , & risum tantùm apta movere commenta ? Sanè multò magis reprehendendi divini verbi præcones , qui rem tam seriam ( scilicet animarum salutem ) sibi commissam , ex sacro suggestu tam irreverenter pertractant

Tandem præscribit Concilium materiam rudi populo proponendam , videlicet *vitia quæ eos declinare , & virtutes quas sectari oporteat , ut pœnam æternam evadere , & celestem gloriam consequi valeant.* Frustra laborat qui non agit rem suam quam debet intendere. Missi sunt ad convertendas animas , & illas instruendas , primò quidem in fide , quæ ibi periclitatur ; doceant igitur præcipuos fidei articulos , & maximè illos qui ab hæreticis inter quos conversan-



# TRACTATUS I.

versantur, præcipuè controvertuntur; ne ex ipsorum ignorantia perversionis periculo exponantur. Deinde agant de vitiis & de modis illa vitandi, & cum in illa inciderint, quomodo per Ecclesiæ Sacramenta inde liberentur; de virtutibus, de modo orandi, de pœnis æternis, de æterna gloria & similibus. Sublimes materias quæ ad salutem parum aut nihil conducunt, transiliant. Potius catechizent, quàm prædicent; potius erudiant ignaros, quàm sublimibus conceptibus, ingenia delectent. Præcipuum studium in Sacra Scriptura impendant, illa enim panoplia est omnium virtutum & salutaris scientiæ. Hoc enim verè est prædicare verbum Dei, quod ipsis commissum est.

## ARTICULUS X.

*Quando pro salute animarum debeant se exponere periculo.*

**P**ro cujus resolutione distinguenda est triplex necessitas, Extrema, videlicet Gravis & Communis, sicut à Theologis distingui solet in materia eleëmofynæ corporalis. *Extrem-necessitas* spiritualis est, per quam nisi succurratur, proximus est in evidenti periculo æternæ damnationis; ut si puer sit inter infideles non bap-

# DE MISSIONARIIS. 35

baptizatus, aut propter pestem derelictus; aut etiam si adultus moriturus sit impenitens, *Gravis* necessitas spiritualis est, quando existens in mortis periculo salvari quidem potest, sed difficulter, v.g. tempore pestis; posset enim sine confessione cum sola contritione justificari, sed obruto infirmitate hoc planè est difficile. *Communis* necessitas est, quam patiuntur illi qui communes peccandi occasiones incurrun, unde faciliè & per plures liberari possunt.

Distinguendum etiam est periculum, videlicet, propriæ salutis spiritualis, vitæ corporalis, amissionis bonorum temporalium, exilii aut similibus.

Tandem etiam una est obligatio ex stricta justitia, & altera ex sola charitate. Ex stricta justitia obligatur qui ex officio tenetur, aut conductus pretio aut simili titulo. Ex charitate autem quando nullum adest strictum jus, sed est sola obligatio ex præcepto charitatis proximi, quod omnibus est datum.

His præmissis de periculo propriæ salutis spiritualis nihil dicendum est, nisi quod in nullo casu necessitatis proximi, quisquam possit illud subire, plus enim debet homo salutis propriæ curam habere, quàm alienæ. Si tamen proprium periculum parvum sit, periculum autem proximi extremum, poterit se illi exponere, recurrendo tamen ad divinum auxilium.

Prim



Prima Conclusio: Quicumque Christianus debet non tantum bona temporalia, & quodcumque proprium bonum corporale, sed etiam vitam ipsam postponere spirituali saluti proximi, quando est in extrema necessitate. Et expressè S. Th. 2. 2. q. 26. a. 3. ad 3. ubi agit de charitate quam quisque tenetur habere erga proximum. *Non est, inquit, de necessitate charitatis quod proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu quo tenetur ejus saluti providere.* Et clarius opus, de Perfect. vitæ spiritualis c. 14. *Plus debet unusquisque Deum diligere quam corpora nostra. Unde vitam corporalem pro salute spirituali proximorum ponere convenit, & hoc cadit sub necessitate præcepti in necessitatis articulo; puta si aliquis videret aliquem ab infidelibus seduci, deberet se mortis periculo exponere, ut eum à seductione liberaret.*

Et S. August. lib. de mendacio c. 6. dicit: *Temporalem planè vitam suam pro aeterna vitam proximi non dubitabit Christianus amittere.* Et hoc est conforme illi 1. Joannis 3. v. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et si animam sive vitam; multò magis debemus postponere amissionem, quorumcumque bonorum temporalium saluti spirituali proximi.

Ex quo sequitur ad baptizandum puerum omnino ab aliis destitutum, aut ad volentem

se in mortis articulo convertere, instruendum; aut reducendum peccatorem alioquin in peccato suo moriturum, quicumque Missionarius se teneatur, saltem ex charitatis præcepto, periculo vitæ, & quorumcumque bonorum temporalium & commodorum exponere.

2. Conclusio. Tenentur etiam Missionarii, & adhuc magis stricti Pastores, exponere vitam & alia bona & commoda temporalia pro salute spirituali proximi, in gravi necessitate.

Pr. Major est obligatio Pastorum & aliorum Missionariorum quam sit aliorum fidelium, ergo si omnes teneantur ita succurrere in extrema necessitate, Pastores, & alii Missionarii, qui sunt quasi Pastores, tenebuntur etiam in necessitate tantum gravi. Quod fundatur in illo Joannis 10. v. 11. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Aptissimè huc facit epistola 180. S. August. de fuga in persecutione quæ ad præsens propositum est lectu dignissima, ex qua sequentia extraxi: *nisi fortè quisquam contenderit non esse ministrum impium, qui tunc subtrahit ministerium pietati necessarium, quando magis est necessarium. An non cogitamus cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantum in Ecclesia fieri solet ab utroque sexu, atque ab omni etate conversus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentia ipsius actionem, omnibus consolationem,*

tionem, & Sacramentorum confectionem & erogationem? ubi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quamvis denique gemitus omnium! & quorundam quanta blasphemia de absentia ministeriorum & ministrorum! vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo sit acquisitio malorum aeternorum. Si autem ministri adsint, pro viribus quas eis Dominus subministrat, omnibus subveniunt, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communionem fraudantur, omnes consolantur, edificantur, exhortantur, ut Deum rogent, qui potens est omnia quaerunt avertere, &c. Omnia applicari possunt pro tempore pestis, sed de casibus tunc occurrentibus specialiter loquemur toto ultimo tractatu.

## ARTICULUS XI.

*Quinam propriè censeantur esse Missionarii.*

CUM Missionarii à mittendo seu missione dicantur, licet intra limites Catholicorum mittantur, interdum tam saeculares Sacerdotes quàm Religiosos ad diversos pagos ad praedicandam poenitentiam, & rudem popu-  
lum

lum ad meliorem vitam reducendum; Pro qua missione aliquando concedi solent plenarie indulgentiae, tamen illi tantum largo modo, & non, prout nunc agimus, dici possunt Missionarii. Sed illi dumtaxat qui mittuntur ad illa loca in quibus haeretici dominantur, licet ipsis Catholici vel in magno, vel in parvo numero sint admixti.

Quo praesupposito inquiri potest, qualis missio requiratur ad hoc ut sic missi uti possint facultatibus concedi solitis strictè dictis Missionariis. Utrum sufficiat si tantum dicta loca pertranseant sine speciali missione. Aut etiam quod certis temporibus vadant ad pagos haeticorum causâ praedicandi, uti fieri consuevit ad diversorum ordinum Regularibus, observantibus antiquas suas stationes v.g. in Majoria Sylvæducenti, aut Marchionatu Bergensi, & similibus. Aut tandem: Utrum saltem illi qui in illis pagis agunt Pastores, sive sint saeculares sive regulares: Et in ipsorum parentibus nihil exprimitur nisi id quod exprimi solet in parentibus Pastorum, in partibus Catholicorum existentibus.

Resp. Non sufficere illac transire nisi etiam pro solo transitu concedantur facultates, ab illis, quibus commissum est illas aliis concedere. Et idem dicendum puto de terminariis Religiosis, qui in dictis pagis observant annuas stationes suas, quas ab antiquis temporibus ibi habuerunt. Isti enim non sunt verè Missionarii,

rii, nec habent ibi permanentem locum, nec deputati nec verè missi pro propaganda fide.

Aliter tamen loquendum est de Pastoribus ab Episcopis deputatis & verè institutis in pagis, qui veri dici debent Missionarii, & consequenter frui possunt illorum facultatibus; pro majori tamen cautela consultum est, ut illas petant ab iis, qui tamquam Vicarii, vel tamquam Præfeti à Summo Pontifice seu S. Cong. potestatem habent tales facultates aliis communicandi.

ARTICULUS XII.

*Virum omnes Missionarii sint Pastores.*

**A**liud est esse Pastorem seu Parochum ex Officio, & aliud est habere facultatem ad Pastoralia administranda. Quoad primum, Ecclesia in aliquibus locis & temporibus nullam facere solebat differentiam, sed omnibus Missionariis permittebat indifferenter pro zelo suo operari, sine ulla distinctione inter se. Et hoc propter gravissimas persecutiones; dum ne quidem Catholici in partibus hæreticis tuto habitare possent, & sic non minus quàm ipsi sacerdotes latebant: in illis ergo circumstantiis nulla erat distinctio Pastorum ab aliis

aliis Missionariis, & ita adhuc hoc tempore observatur in Angliâ. In partibus autem confæderatarum Provinciarum, ubi omnimoda libertas datur Catholicis securè habitandi, ab aliquot annis institui cœperunt Pastores, quibus ex officio incumberet curam habere animarum, ipsis secundùm præscriptos limites subjectarum. Sed tamen divisio illa non potuit exactè fieri, eo modo quo fit in locis Catholicis Dominis subjectis. Propterea tam propter occurrentes casus necessitatis, quàm propter consolationem Catholicorum, summi Pontifices facultatem concesserunt aliis plerisque Missionariis, præsertim Regularibus Pastoralia administrandi, videlicet præter Sacramenta Pœnitentiæ & S. Eucharistiæ etiam Baptismum, extremam Unctionem & Matrimonium. Qui tamen non sunt propterea dicendi absolute Pastores, sed Pastoralia administrantes, non ex stricto officio & justitiâ, sed ex Charitate & Missione.

Sed quia uti fieri solet, non omnibus potuit à principio occurri dubiis seu difficultatibus: Agitari satis acriter cœpit num Regulares & alii Missionarii habentes præfatas facultates, in ipsarum exercitio à Pastoribus, seu ab ipsorum consensu dependerent. Pro cuius resolutione, re bene tam hîc, quàm Romæ discussâ Auditis bene partibus, resolvit Sanctissimus Dominus Urbanus VIII. per Bullâ suam quæ incipit: *Salvatoris* latam pro Clero &

Reli-

Religiosis Missionariis §. 1. concedit Regularibus ut simul cum sacerdotibus secularibus Sacramenta Pastoralia administrare possint, sine aliqua restrictione ad casus necessitatis, vel dependentiâ ab illis, sed æqualiter. Et hoc non tantum in ipsis civitatibus, ubi Missionarii resident, sed etiam in locis vicinis, quod expressè in eodem §. sub finem exprimitur: *Et liberè in pagis vicinis, ubi major est necessitas.* Et §. 12. nullus ex secularibus sacerdotibus aliquem Regularium, neque aliquis regularium aliquem Sacerdotum secularium in obeundis munitis Ecclesiasticis, vel administrandis Sacramentis impediât, sed pariter mutuo amore concurrant in salutem animarum procurandam.

Quam Bullam pridem præfens Pontifex Alexander VII. quoad omnia, motu proprio confirmavit, & approbavit, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiecit, per simile Breve, seu Bullam suam datam die 20. Septemb. 1656. Et hoc, uti declarat, ad conservandam tranquillitatem, Misericordiam etiam Catholicis magno est solatio, quod in tot periculis damnorum temporalium, non tantum recurrere possint ad habentem ex officio curam Pastoralem, qui aliquando latere posset, aut rudi populo non satis notus esse; sed etiam tam in civitatibus, quam ex pagis vicinis concurrere possint pro recipiendis Sacramentis, ad omnes illos qui habent facultatem Pastoralia administrandi.

Ac

Ac proinde negari non potest quin modò in Missionibus confœderatarum Provinciarum, aliqui sint quibus ex officio incumbit onus Pastorale & hi propriè dicti Pastores sunt. Alii autem quibus hoc propriè non incumbit, saltem ex officio, habent tamen facultatem Pastoralia administrandi. Qui in hoc adjuutores sunt Pastorum, à sancta Sede ad hoc missi, ut simul pari zelo rete plenum rationalibus piscibus ad terram salutis attrahant: bene cavendum tamen ne hoc rete per discordiam rumpatur.

## ARTICULUS XIII.

*Quomodo Regulares in Missionibus obligentur ad observantiam Regulae suae & constitutionum.*

**P**RO resolutione hujus quæstionis præmittere libet ea quæ S. Th. habet 2. 2. q. 185. a. 8. ubi inquit de Episcopis: *An Religiosi qui promoventur in Episcopos, teneantur ad observantias regulares.* Et respondet affirmativè, quantum ad illa quæ non impediunt Pontificale officium, sed magis valent ad perfectionis custodiam; sicut est continentia, paupertas & alia. Et Probat: *Status religionis ad perfectionem pertinet, quasi quadam via in perfectionem tendendi: status autem Episcopalis*

C

ad

ad perfectionem pertinet, tamquam quoddam perfectionis magisterium, & dispositio ad perfectionem. Dispositio autem non tollitur perfectione adveniente: nisi forte quantum ad id quod perfectioni repugnat; quantum autem ad id quod perfectioni congruit, magis confirmatur, sicut discipulo, cum ad magisterium pervenerit, non congruit quod sit auditor, congruit tamen sibi quod legat & meditetur etiam magis quam ante, sic ergo dicendum est quod si quae sint in regularibus observantiis quae non impediant Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas & alia huiusmodi, ad haec remanet Religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus. Quamto ergo magis factus Missionarius? Ratio autem eadem hoc videtur convincere: licet enim non sit Missionarius proprie in statu perfectionis sicut Episcopus; exercet tamen munus propter quod censetur Episcopus esse in statu perfectionis, quod est magisterium seu instructio fidelium. Si igitur conducatur observantia regularis tanquam dispositio ad perfectionem status Episcopalis, non minus conducet ad perfectionem Apostolicam missionis, ac proinde si dispositio illa non tollatur perfectione adveniente in Episcopo, multo minus tolli debet adveniente munere missionis. Et postea subdit S. Th. *Si vero sunt in observantiis regularibus quae officio Pontificali repugnant, sicut est solitudo, silentium, & aliqua abstinencia, vel vigilia graves ex quibus*

quibus impotens corpore redderetur ad exequentium Pontificale officium, ad huiusmodi observanda non teneretur. Idem cum proportione dicendum de Missionariis, quod non teneantur ad illa statuta, quae suam functionem impedirent, uti est gestatio vestis religiosae & similia, aut ad difficiles functiones quae vires nimium debilitarent; qualia essent nimiae vigiliae aut jejunia, & alia. Sed in hoc metiri debent labores suos & vires corporis. Qui enim parum laborant, etiam minus quam in suis monasteriis laborarent, nescio quo titulo ximentur ab obligatione Regulae aut Constitutionum suae religionis.

Ad vota essentialia semper tenentur, cum etiam S. Th. 2. 2. q. 88. a. 11. ad 4. ipsos Episcopos regulares non eximat. Quoad castitatem certum est; de qua supradictum art. 6. De obedientia nullum est dubium. Et quoad paupertatem licet aliqua dicta sint etiam supra, haec addenda sunt, manendo in eadem comparatione de Episcopis, ipsi enim si à statu religionis assumpti sint, non sunt Domini bonorum temporalium quocumque modo acceptorum, sed tantum dispensatores, quae ratione non possunt per testamentum de illis disponere, nisi habita ad hoc speciali facultate Summi Pontificis. Multo ergo minus Missionarii tanto inferiores in dignitate. Imo in illis religionibus quae habent aliquos pastores annexos, Pastores nullatenus fiunt Domini bonorum

quæ sibi acquirunt : debent enim quotannis exactam rationem dare omnium receptorum & expositorum, sicut laudabiliter observatur in candido ordine Præmonstratensi : Missionarij autem Regulares non magis accipiunt dominium bonorum & eleemosynarum quas à fidelibus acquirunt, quam Pastores regulares. Ac proinde etiam soli dispensatores sunt, non Domini; ita ut sub culpa proprietatis teneantur de omnibus rationem exactam reddere suo superiori id exigenti, nec pro libitu suo possunt coercere, nec dare, alienare, emere aut vendere nisi cum dependentia à suo legitimo Superiore, multò minus relinquere vel per testamentum, vel sine illo aliqua amicis suis aut aliis sine vitio proprietatis contra votum suum paupertatis. In vita tamen sua possunt eleemosynas dare pauperibus Catholicis, aut etiam hæreticis in quantum hoc conducit ad salutem animarum in partibus missionis : sicut habetur in decreto Alexandri VII. de quo supra art. 5.

## ARTICULUS XIV.

*An possint à Præfecto à Missione revocari.*

**T** Amersii S. Congregatio tam anno 1630. quam 1631. hoc sibi reservaverit, nisi

ob graves causas, vel in casu præsentis & imminentis publici scandali : in quibus casibus de factâ remotione voluit quantocius certior fieri ; conformiter tamen ad Bullam Urbani VIII. confirmatam ab Alexandro VII. anno 1656. de quâ supra art. 12. sufficit solus consensus Vicarij Apostolici, sic enim dicitur §. 4. *Quod si Vicarius expedire judicaverit aliquem ex Regularibus vel Patribus mutari, significabit hoc illorum superioribus, ut avocetur, cum causis quæ eum ad hoc movent, & superiores in eo faciles se præbent.* Si hoc ex se possit Vicarius, idem poterit præfectus de solo Vicarij consensu.





# TRACTATUS II.

## De Fide interna.

**Q**Uoniam præcipuus finis missionis est, fideles in fide roborare, & infideles ad fidem convertere, & in articulis fidei instruere: necesse est scire, quam & quomodo oporteat credere. Et quia non sufficit fides tantum interna, sed in aliquibus saltem circumstantiis externa fidei confessio requiritur, hoc tractatu de interna tantum agemus, sequenti verò de externa.

## ARTICULUS PRIMUS.

### Quid sit Fides.

**A** Postolus ad Hebræos 11. ubi multa habet de excellentia & efficacia fidei v. 1. sic ipsam describit: Est autem fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium. Quam diffinitionem seu descriptionem optime exponit Angelicus Doctor tam super illum locum, quam 2. 2. q. 4. a. 1. unde hic dicenda desumpta sunt: Sciendum est, inquit, quod actus fidei est credere qui est actus intellectus de-

terminati ad unum, ex imperio voluntatis. Unde credere est cum assensu aliquid cogitare, ut dicit August. lib. de Prædestinatione Sanctorum. Et ideo objectum fidei, & finis voluntatis debent sibi correspondere. Veritas autem prima, est objectum fidei in quo quidem consistit finis voluntatis scilicet beatitudo, qua differenter est in via & in patria, quia in via veritas prima non est habita, & per consequens nec visa, quia in his qua sunt supra animam, idem est habere & videre, ut dicit August. 83. quæst. sed tantum sperata. Rom. 8. v. 25. Quod non videmus speramus, quod enim videt quis quid sperat? ergo veritas prima non visa, sed sperata, est finis voluntatis in via, & per consequens objectum fidei, quia idem est sibi pro fine & objecto. Finis autem ultimus simpliciter ipsius fidei in patria quem intendimus ex fide, est beatitudo qua in aperta visione Dei consistit. Finis ergo fidei in via est affectio rei sperata, scilicet beatitudinis aterna. Et ideo dicit sperandarum rerum.

Quod dicitur, substantia, potest multipliciter exponi. Vno modo causaliter, & tunc habet duplicem sensum. Vnum quod est substantia, id est, faciens in nobis substare res sperandas, quod facit duobus modis. Vno modo quasi merendo. Ex hoc enim quod captivat & submittit intellectum suum his qua sunt fidei, meretur quod aliquando perveniat ad videndum hoc quod sperat. Visio enim est merces fidei. Alio modo quasi per

*Suam proprietatem presentialiter faciat, quod id quod creditur futurum in re, aliquo modo jam habeatur, dummodocredat in Deum. Alio modo potest exponi substantia essentialiter, quasi fides sit substantia, id est essentia rerum sperandarum. Unde in Græco habetur hypostasis rerum sperandarum. Essentia enim beatitudinis nihil aliud est quam visio Dei. Fides autem nostra est ut credamus, quod beati videbunt & fruuntur in Deo, & ideo si volumus ad hoc pervenire, oportet ut credamus principia istius cognitionis, & hæc sunt articuli fidei qui continent totam summam hujus scientiæ. In his ergo verbis ostenditur ordo actus fidei ad finem, quia fides ordinatur ad res sperandas quasi quoddam inchoativum, in quo totum quasi essentialiter continetur, sicut conclusiones in principiis. Qui autem habet principia alicuius scientiæ, habet quodammodo substantiam ejus.*

*Argumentum non apparentium. Sumitur argumentum pro argumenti effectu. Per argumentum enim intellectus inducitur ad inhaerendum alicui vero, unde ipsa firma adhesio intellectus ad veritatem Fidei non apparentem, vocatur hic argumentum. Unde alia littera habet (convictio) quia scilicet per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his quæ non videt.*

*Per istam ergo definitionem distinguitur fides ab omnibus quæ pertinent ad intellectum. Per hoc enim quod dicitur argumentum distinguitur ab opinione,*

*opinionem, dubitationem & suspensionem: quia per istam non habetur firma adhesio intellectus ad aliquid. Per hoc autem quod dicitur non apparentium, distinguitur ab habitu principiorum, & scientiæ per quæ aliquid fit apprensus. Per hoc quod dicitur substantia sperandarum rerum, distinguitur à Fide communiter sumpta, quæ non ordinatur ad beatitudinem. Hæc omnia habet S. Doctor tam in commentariis supra illum locum, quam in 2. 2. loco citato. Ubi latius videri potest.*

*Ex quibus colligitur quanta sit dignitas fidei, & quanta ejus firmitas, & quænam ad ipsam requiratur dispositio. Dignitas quidem ex objecto & fine, quæ non distinguuntur in virtutibus Theologicis, & est prima veritas aliquando videnda in Patria; unde est idem objectum & finis beatorum, videlicet visio Dei, licet adhuc modo diverso, hic obscure, ibi clarè. Firmitas autem, cum sit argumentum convincens intellectum, plusquam quævis alia scientia aut habitus intellectus facere potest. Nihil enim magis hominem potest firmare, quam auctoritas primæ veritatis. Magnum proinde bonum est sæpius actus fidei elicere. De dispositione quæ requiritur sequenti articulo dicetur.*



TRACTATUS II.

ARTICULUS II.

*Qua dispositio requiratur ad bene & fructuose credendum.*

**C**Um credere sit actus intellectus assentientis primæ veritati, ex imperio voluntatis; utraque potentia debet ad fidem rectè disponi: quoad intellectum quidem per humilitatem, de quâ jam agemus, & quoad voluntatem per piam motionem seu charitatem, de quâ in sequenti articulo.

Apostolus 2. Cor. 10. v. 5. requirit ut intellectum omni subiectione submittamus. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ubi S. Thomas; *Quod quidem tunc fit, quando id quod homo scit, totum supponit ministerio Christi & fidei; Ps. 149. Ad alligandos Reges eorum in compedibus: Et Eccli. 6. v. 25. Injice pedem tuum in compedes illius, id est in documenta fidei.* Per intellectum & rationem est, homo quodammodo Rex super creaturas irracionales, & per intellectum seu iudicium proprium extollebant se antiqui Philosophi, & omnes hæretici adversus scientiam Dei, scilicet fidem, quæ est scientia Dei, inquit S. Th. Alligandus est igitur intellectus in compedibus firmæ fidei, per subiectionem omnî scientiæ & iudicii. Qui compedes etiam

in.

DE FIDE INTERNA. 53

injiciendi pedi passionum & pravorum affectuum, qui intellectum obnubilant, ne percipiat fidei documenta. Captivatio illa intellectus humilitatem designat: nihil enim homini magis ex originali peccato innatum, quàm superba a hæsiō ad proprium iudicium. Et inde tot hæreses; per hoc enim quod unusquisque sibi velit sapere, & nulli, ne quidem divinæ veritati se subdicere, in errores prolabitur. Sic August. lib. de Agone Christ. cap. 15. *Hæretici multum errant, quoniam superbi sunt, & non possunt discere, quia nolunt credere.* Et contra Epist. Manich. cap. 6. *Mater omnium hæreticorum superbia est.* Ex quo facilè potest deduci quod mater omnium Catholicorum sit humilitas; illi ideo à veritate deficiunt quia nolunt se submittere, hi in veritate proficiunt, quia intellectum & proprium iudicium in captivitatem redigunt in obsequium Christi, & fidei ipsius. Optima igitur dispositio ad fidem est submissio intellectus ad ea quæ non apparent, & quæ hîc videri non possunt, uti potissima dispositio ad errandum cum hæreticis est intellectus superbia, quâ nihil admittunt, nisi prout sibi sapiunt. Scientia hæreticorum inflat, fidelium fides super fundamentum humilitatis ædificat. Decepit Evam Serpens promittendo scientiam instantem, contra fidem Creatoris: *Eritis sicut Dii scientes, nequaquam moriemini.* Reduxit Christus fidem per humilitatem ædificantem, ac propterea

C 6

infirma

infrima mundi elegit, scilicet rudes piscatores, ut fortia, scilicet sapientes hujus mundi confunderet. Perdam sapientiam sapientium inquit Apostolus 1 Corinth. 1. v. 19. *Et prudentiam prudentium reprobabo. Vbi Sapiens? ubi Scriba? ubi Conquistor hujus saculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? nam quia in Dei sapientia cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam Prædicationis salvos facere credentes.* Qui igitur vult verè sapere, non ianitur sapientiæ hujus mundi quæ apud Deum est stultitia; sed suam sapientiam humilitati fidei submittat, captiver intellectum in obsequium fidei. Et hæc est prima dispositio quâ aliquis ad fidem debet reduci, ut credat se credere non posse, nisi propriam sapientiam humiliter obscuræ, sed à Deo revelatæ, veritati subjiciat, agnoscat quod fidei mysteria humanum captum excedant, ac proinde velle naturali ratione eò attingere, est velle Babylonicam turrin ad cælum usque erigere. Humilitate igitur agendum est ei, qui se vult in fide confirmare, & alios ad veram fidem adducere. Qui omnia vult sciendo palpare, necesse est eum in fidei mylteriis errare.

## ARTICULUS III.

*Quæ dispositio requiratur ex parte voluntatis.*

**A**D omnem fidem etiam humanam requiritur aliqua motio voluntatis, quia enim objectum fidei non convincit intellectum intrinsecâ aliquâ ratione, sicut scientia aut habitus primorum principiorum; ideo necesse est ut suppleatur id quod deest per motionem voluntatis, quâ se vult dicenti submittere propter ipsius auctoritatem. Hoc etiam invenitur in fide divina; motio autem quæ ibi requiritur, vocatur Pia motio voluntatis, quæ licet etiam inveniat in fide informi, non tamen secundum suam pietatem.

Pro cujus declaratione prius dicendum est in quo fides informis à formata, & in quo fides viva à mortuâ distinguatur. De quo videri potest S. Thom. 2. 2. q. 4. a. 4. ubi dicit in fine corporis: *Distinctio autem fidei formata & informis, est secundum id quod pertinet ad voluntatem, id est secundum charitatem, non autem secundum illud quod pertinet ad intellectum.* Et concludit: quod non sint diversi habitus. Et art. 5. ubi inquit utrum fides sit virtus, affirmat hoc de fide formatâ, negat autem de fide informi. *Ex charitate inquit, qua*


formât fidem, habet anima quod infallibiliter voluntas ordinetur in finem bonum, & ideo fides formata est virtus. Fides autem informis non est virtus, quia etsi habeat perfectionem debitam actûs fidei informis ex parte intellectûs, non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis. Et ibidem art. 3. resolverat ex professo charitatem esse formam fidei, & non tantum communi modo, sicut est forma omnium virtutum, ex eo quod habeat pro objecto ultimum finem; qui est Deus, ad quem omnium virtutum actus dirigit: sed speciali ratione. Quia inquit bonum quod est finis fidei, scilicet bonum divinum, est proprium objectum charitatis, & ideo charitas dicitur forma fidei, in quantum per charitatem actus fidei perficitur & formatur.

Ex quibus omnibus habetur quod dispositio ad bene credendum ex parte voluntatis sit charitas, & talis est fides sine qua impossibile est placere Deo. Sicut igitur errant qui sine subiectione intellectûs tantum illis articulis fidei assentiuntur, quos proprio iudicio metiuntur, alios autem rejiciunt, & sic nihil creduntur infra probabitur: Ita illi qui Catholici sunt, & intellectum quidem in captivitatem redigunt, si motio voluntatis non ex charitate procedit, carent dispositione, qua credant sicut credendum est, videlicet, ut habeant fidem formatam qua meritorie credant

Quod magis roborari poterit ex eisdem  
Doctores

Doctores doctrinam quam habet 2. 2. q. 2. a. 2. ubi distinguit actus fidei per hoc quod est credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. Possunt quidem peccatores credere Deo revelanti: & credere Deum esse, non tamen credere in Deum, qui actus significat motum voluntatis per charitatem.

Tametsi Christus Dominus qui erat æterna Sapiencia Patris, instruxisset discipulos suos in mysteriis Fides, voluit tamen hanc illorum fidem perfici per Spiritum Sanctum. Joann. 14. v. 26. *Paracletus Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia quaecumque dixerit vobis.* Spiritus S. Amor est, dicit S. Gregor. hom. 30. in Evang. proprium autem est amoris amorem producere. Insinuare ergo videtur Christus Dominus, ne quidem suam discipulis sufficere in Fidei mysteriis instructionem, nisi adveniens Spiritus, qui amor est, ipsorum corda charitatis lumine illustraret & accenderet. Quam pauci igitur sunt Catholici, qui ad perfectam fidem se disponunt per charitatem, credunt quidem illa quæ sibi ad credendum proponuntur, credunt Deo revelanti, credunt Deum esse; sed verè non credunt in Deum, quia Spiritum S. per charitatem non receperunt. Talis autem fides mortua est, quæ caret vitâ, quæ charitas est. Apostolus 2. Cor. 13. v. 5. vult ut unusquisque se temptet an fidem habeat; *vosmetipsos sentiate si estis*



TRACTATUS II.

*estis in fide, ipsi vos probate.* Scilicet per charitatem, quæ est veræ & perfectæ fidei indicium. Ideo tam parvus est inter fideles fidei profectus. Agnoscunt mysteria omnia quæ in Symbolo fidei recitantur, & id ipsum apud se, aut publicè recitant: sed non aliter quàm pueri, qui id quod addiscunt non intelligunt, vel ut Plittacus qui sine intellectu per consuetudinem verba profert quæ non capit. Recitant fidei Symbolum, sed ad illa quæ in ipso continentur mysteria, vel non advertunt, vel ad illa ex defectu charitatis non afficiuntur. Viva fides per hoc vivit, quod per charitatem operetur. Jac. 2. v 26. *sicut enim corpus sine Spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Spiritus igitur fidei charitas est, signum autem charitatis bona opera sunt; sic igitur in missione instruendi sunt fideles, ut non tantum credant, sed ex fide vivâ credant, videlicet per affectionem charitatis, quâ erga illa mysteria afficiantur. Et sic opera Dei admirentur, laudent, benedicant, & confiteantur, non ore tantum, sed & corde magnificentem Deum, cujus tot sunt mysteria, & à quo tanta post hanc vitam repromissa sunt præmia.

ARTI-

ARTICULUS IV.

*Vtrum explicitè credere mysterium Incarnationis sit necessarium.*

**P**Ro cuius resolutione sciendum est quid sit explicitè, quid verò implicitè tantum credere, & quotupliciter sit aliquid necessarium. Fides implicita est quâ creditur generaliter, & quodammodo confusè, quidquid Deus revelavit, & per Ecclesiam credendum proposuit: vel ut describit Sylvius 2. 2. q 2, ad art. 5. Implicitè credere est assentiri uni, velut principio universali, in quo alia continentur. Et sic potest aliquid plus vel minus esse implicitum, secundum quod magis vel minus universale est in quo continetur. Fides verò explicita est quâ creduntur distinctè seu articulatim ea quæ Deus revelavit, & Ecclesia proponit, seu ut Sylvius ubi supra: credere explicitè est assentiri alicui rei seu propositioni, secundum suos terminos in particulari & actu cognitæ.

Distinguenda est quoque duplex necessitas: una quæ vocatur Medij, alia tantum Præcepti. Prima est, sine quâ finis haberi non potest, quando nulla ignorantia, quantumvis invincibilis excusat, uti nec impossibilitas: quâ ratione baptismus necessarius est parvulis actu recep-

receptus, quia sine illo salvari non possunt. Necessitas autem Præcepti est quâ aliquid necessarium est, si haberi possit; à quâ tamen invincibilis ignorantia excusat. Accedendo igitur ad speciale mysterium de quo inquirimus, S. Th. 2.2 q. 2.a.7. docet quod omni tempore oportuerit hoc mysterium aliquialiter esse creditum apud omnes: diversimodè tamen secundùm diversitatem temporum & personarum. Nam ante statum peccati habuit homo explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundùm quod ordinabatur ad consummationem gloriæ. Post peccatum verò etiam quantum ad passionem, & resurrectionem quibus humanum genus à peccato erat liberandum. *Aliter enim*, inquit, *non præfigurassent Christi passionem quibusdam Sacrificijs, & ante legem & sub lege, quorum quidem Sacrificiorum significatam explicitè majores cognoscebant: Minores autem sub velamine illorum Sacrificiorum credentes ea divinius esse disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem. Et ea quæ ad mysteria Christi pertinent tantò distinctius cognoverunt, quantò Christo propinquiores fuerunt.* Et procedendo ad statum novi Testamenti dicit: *Post tempus autem gratia revelata, tam majores, quàm Minores, tenentur habere fidem explicitam de mysterijs Christi; præcipuè autem quantum ad ea quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur.*

Ex

Ex quibus colligitur quod omni tempore fides de mysterio Incarnationis, siue explicita, siue implicita fuerit necessaria, quia per illam fidem justificabantur, & ideo Christus Dominus dicitur Apoc. 13. v. 8. *Agnus occisus ab origine mundi.* Sed ulterius jam inquirendum est, quâ necessitate tam Majores quam Minores in lege gratiæ teneantur hanc fidem explicitam de Incarnatione Christi habere; an solum necessitate præcepti, à quâ excusare potest ignorantia; an verò necessitate mediû, ita ut sine illa nemo possit salvari. Loquimur autem de adultis qui per actus proprios debent salvari, non de parvulis quibus sufficit habitualis fides, quam habent in Sacramento fidei, & in fide Ecclesiæ.

Relictâ autem opinione Melchioris Cano in Relect. de Sacrament. p. 2. concl. 2. quam sequitur Bannez & nonnulli alij, quod fides explicita in Christû sit quidem necessaria necessitate mediû ad primam salutem, scilicet ad justificationem, non verò ad secundam scilicet ad gloriam:

Dico quod post sufficientem promulgationem legis Evangelicæ fides explicita in Christum, seu in Salvatorem est simpliciter necessaria necessitate mediû, tam ad primam, quàm ad secundam gratiam.

Hanc conclusionem tenent Valentia 2. 2. disp. 1. q. 2. p. 4. Lorca ibid. disp. 22. Sanchez in Summa lib. 2. cap. 2. Becanus de fide cap. 12.

cap. 12. n. 10 Granado 2.2. tract. 10. disp. 2. sect. 2. Et Sylvius huic ut probabiliori adhæret. Item citantur Gabriel, Alensis, Bonaventura. Videtur etiam esse S. Th. 3. dist. 25. q. 2. a. 2. quæst. 2. ubi sub finem sic resolvit: *Intertio autem statu post Adventum Christi, quia jam mysterium Redemptionis impletum est, & corporaliter & visibiliter, & predicatum: omnes tenentur ad explicitè credendum, & ne aliquis dicat quod tantum loquatur de obligatione sub præcepto, notandum est quod sequitur: Et si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa remaneret.* Ad quod nullatenus deberet recurrere, nisi sic credere esset de necessitate medii. Conforme est hoc etiam S. Scrip. plurimis quidem locis præcipuè tamen in sequentibus. Act. 4. v. 12. *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri* Et Joan. 3. *Qui credit in eum non judicatur: qui verò non credit in eum, jam judicatus est quia non credit in nomine unigeniti filij Dei.* Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Quæ sicut & alia plura loca sufficienter videntur insinuare necessitatem medii. Insuper id ipsum satis clarè habet S. Aug. lib. de corrept. & gratia cap. 7. ubi dicit: *Sicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione que facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi, & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se audivisse Evangelium Christi.* Cui etiam adjungi potest

potest symbolum S. Athanasii: *Necessarium est ad aternam salutem, aut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.*

Colligitur etiam ex Conc. Trid. Sess. 6. c. 4. ubi dicit, neminem justificari posse, & consequenter nec salvari post promulgatum Evangelium, sine lavacro regenerationis, id est, sine baptismo, aut ejus voto: sed votum baptismi præsupponit explicitam cognitionem Christi per fidem, ergo ista fides necessaria est necessitate medii.

Dices: Dato quod aliquis baptizatus dum esset parvulus, perveniat ad usum rationis, ipse non indiget amplius baptismo in voto, cum ipsum in re susceperit, ergo ratio nostra tunc nihil urgebit.

- Resp. Verum quidem esse præcisè ratione baptismi tunc non esse necessarium votum. Sed considerando bene quid votum dicat, facile videbitur quod adhuc requiratur. Ideo baptismus in voto supplet realè susceptionem Sacramenti Baptismi quando non potest haberi, quia per votum adultus per desiderium & affectum & consequenter per fidem in Christum, ipsum quodammodo induit & ipsi incorporatur actu, quod baptismus in parvulis tantum facit habitualiter. Necessarium est ergo adulto etiam baptizato ut fide & affectu feratur in Christum ad hoc ut salvetur: Quod patet ex locis S. Script. supra relatis, quibus adjungi



adungi potest illud Galat. 2. v. 16. *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, ut justificemur ex fide Christi.*

Confirmari hoc potest ab inconvenienti, sequeretur enim quod etiam modò posset Judæus salvari per legem Mosaicam, quod tamen ab Apostolo utrobique negatur, qui tam loco jam prolato quàm alibi sæpissimè negat hominem per opera legis debere salvari. Sequela autem probatur: fieri potest quod Judæus observans legem Mosaicam habeat ignorantiam invincibilem mysterii Incarnationis, quo dato habebit fidem implicitam de Christo sicut habebant in veteri lege, ergo si fides explicita de Christo non sit de necessitate medii, talis Judæus salvari poterit.

Contra Dist. Arg. Primò: Cornelius Centurio ante susceptum baptismum, & ante cognitionem Christi erat justus, quia de ipso testatur S. Script. Act. 10. v. 2. quod erat vir *religiosus ac timens Deum.* Nec tunc poterat habere fidem explicitam Christi, quia ad hoc mittebatur ad eum Petrus ut Christum prædicaret. Ergo fides explicita Christi non est medium necessarium ad salutem, cum homo sine illa possit justificari. Ex quo sequitur quod licitè posset adultus baptizari & absolvi, qui nondum instructus est ut credat explicitè in Christum.

Resp. Cum Doctore Angelico 2. 2. q. 10. a. 4. ad. 3.

ad. 3. quod Cornelius habebat fidem implicitam Christi & cum ea justificatus fuit ante manifestatam veritatem Evangelii, & ut explicitè instrueretur in fide Christi missus est ad eum Petrus. Et hoc est quod supra resolveramus; quod fides explicita Christi incepit esse necessaria, non nisi post sufficientem promulgationem Evangelii.

Contra hoc tamen objici potest: quod tempore quo Cornelius Baptizatus est, sufficienter manifestatum fuerit Evangelium, saltem in Cæsarea, ubi habitabat Cornelius; Quia promulgatio prima consetur facta Hierosolymis in die Pentecostes, sicut olim in eodem die promulgata est lex vetus, unde illud festum incepit. Et sic paulatim ista promulgatio serpsit ad vicinas civitates, ut sentit Corn. à Lapide super illum locum. Præterquam quod Baronius dicit ad annum Christi 41. quod Cornelius Baptizatus fuerit, 8. annis post mortem Christi, mirum autem esset quod tanto temporis spatio non fuisset Evangelium promulgatum Cæsareæ adeo vicinæ Hierosolymis. Tandem etiam quia ut habetur art. 9 v. 30. Apostoli deduxerant Paulum Cæsaream antequam Cornelius Baptizaretur; nec credi potest quod cum ibi esset, nec ipse, nec alii Apostoli prædicaverint Christum Crucifixum, & consequenter Cornelius vir ex præcipuis, ut pote Centurio, de Christo Domino multa audierat, aut saltè audire poterat;

Resp.

Resp. Relictis alijs solutionibus : quod licet Evangelium Christi illo tempore sufficienter esset promulgatum Judæis, non tamen Genti- bus, nec enim adhuc erat intentio Apostolorum obligandi illas ad novam legem, nec proinde illis prædicaverant, ad hoc autem ut lex aliqua censeatur sufficienter promulgata alicui populo, requiritur ex parte legislatoris intentio seu voluntas illum populum obligandi. Quod autem talis intentio non fuerit ante illud tempus, patet ex cap. 10. Act. ex visione quam Petrus habuit de linteo magno descen- dente de cælo, in quo erant omnia quadrupe- dia, & serpentina terræ, &c. sub qua visione vocabatur ad Cornelium. Et tunc incæptum fuit prædicari gentibus: quod ex dicto capite patet v. 28. ubi sic loquitur Petrus: *Vos scitis quomodo abominatum est viro Iudeo conjungi aut accedere ad alienigenam, sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem, Et v. 45. Obstupuerunt ex circumci- sione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus S. effusa est.*

Arg. 2. Nemo potest explicite credere in Christum qui invincibiliter ignorat Christum, secundum illud Rom. 10. v. 14. *Quomodo cre- dent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine predicante? quomodo autem prædi- cabunt nisi mittantur?* si igitur aliquis sit in illis locis ubi nemo est qui mysteria fidei & præcipue Incarnationis proponat; salvari non poterit,

poterit, si fides Incarnationis sit de necessitate medii, sine qua non est salus.

Resp. S. Th. ad hoc argument 2. 2. q. 2. a. 5. r. *Quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratie, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratiâ reparantè, sicut ad diligendum Deum & proximum; & similiter ad credendum articulos fidei, sed tamen hoc potest cum auxilio gratie. Quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur misericorditer datur. Quibus autem non datur, ex justitiâ non datur, in poenam præcedentis peccati saltem originalis, ut August. dicit in lib. de Correctione & Gratiâ. Alibi quidem dicit quod Deus aliquem mittet qui instruat, licet etiam oporteret angelum mittere. Hoc piè credendum est, si talis secundum legem nature bene vivat, non tamen ad hoc tenetur Deus. Sollicitè igitur curandum est, ut illi qui puero- rum curam gerunt tempestivè ipsos instruant, maxime in illis quæ ad salutem necessitate medii sunt necessaria.*

Quænam verò illa sint quæ de Christo tali necessitate sunt credenda, ex præfatis locis S. Scripturæ facile colligi possunt: videlicet esse Filium Dei: Secundum illud Joannis 3. v. 18. *Qui credit in illum, non judicatur, qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei II.* Quod pro nobis mortuus sit ut nos redimeret. Rom. 2. *Quem proposuit Deus propitiationem*

## 68 TRACTATUS II.

*per fidem in sanguine ipsius. Quoad Resurrectionem, Ascensionem, iudicium &c. dicendum quod credenda sint necessitate præcepti, non mediæ; multi tamen quoad resurrectionem idem dicunt quod diximus de passione. Scilicet quod sit mysterium credendum necessitate mediæ.*

## ARTICULUS V.

*An de necessitate mediæ sit credere Mysterium SS. Trinitatis.*

**M**ulti sunt qui id negant, & præcipuè qui negant resolutionem nostram præcedentis articuli.

Resp. Tamen affirmativè, & est expressè doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 2. a 8 ubi hoc probat in corp. Mysterium Incarnationis Christi explicite credi non potest sine explicita fide Trinitatis. Quia in mysterio Incarnationis continetur quod filius Dei carnem assumpserit, & per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit. Et iterum quod conceptus sit de Spiritu Sancto, ergo sicut mysterium Incarnationis credendum est necessitate mediæ ad salutem, ita & mysterium Trinitatis. Aliam rationem subjungit: Qui renascuntur in Christo hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis,

## DE FIDE INTERNA. 69

tatis, secundum illud Matthæi ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus S.*

Hanc sententiam S. Th. sequuntur omnes eius discipuli, & Sanchez, Becanus, Sylvius & alii.

Fundamentum contrariæ sententiæ est. Quia videtur durum quod homines rudes & inculti, & pueri, salvari non possint nisi explicitam fidem habeant de tam abscondito & arcano mysterio, quod aliquando moraliter ipsis videtur impossibile.

Resp. Quod non requiratur subtile ingenium ut fide percipiat mysterium SS. Trinitatis solum quoad hoc quod sint tres personæ Pater Filius & Spiritus S. Consistit enim fides non in intellectione mysterii, sed in assensu, qui non requirit subtile intellectum, secundum illud Aug. lib. contra epist. fundam. cap. 4. *Turbam non intelligendi civacitas, sed credendi simplicitas iustissima facit.*

Hæc ita resolvimus in rigore doctrinæ S. Th. licet contraria sententia suâ probabilitate in aliquibus non careat, nihilominus non sunt admittendi ad confessionem aut alia Sacramenta nisi conformiter ad nostram sententiam, quia in hac materia tutiorem oportet sequi partem. Parum enim patrociniû dabit contrariæ sententiæ probabilitas, si non patrocinetur etiam veritas, secundum quam homines iudicabuntur.



## ARTICULUS VI.

*Quanam credenda sint necessitate  
Præcepti.*

**O**Mnes fideles tam minores quàm majores tenentur explicitè credere ea quæ communiter solemnizantur in Ecclesia, & publicè proponuntur: verba sunt S. Th. 2. 2. q. 2. a. 7. ubi bene notat Joan à S. Thoma quod non sine causa addatur illud verbum *Proponuntur*, plura enim proponuntur credenda quàm solemnizantur in Ecclesia, si agatur de solemnizatione festivitatum. Tenentur igitur omnes tam minores quàm majores scire Symbolum Apostolorum. Quod inde satis colligitur quia Ecclesia nullum adultum admittit ad Baptismum nisi sciat Symbolum Apostol. Unde in Conc. Braccar. 2. can. 1. præcipitur omnibus Episcopis ut per 20. dies ante Baptismum eurent Catechumenos ediscere Symbolum. Et c. Vos de conf. dist. 4. patris præcipitur: *Ante omnia Symbolum, & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis quos suscepistis de Sacro Fonte ostendite.*

Et ne videatur eadem obligatio minorum & majorum, subjungit S. Thomas: *Alias autem subtiles considerationes, circa Incarnationis articulos tenentur aliqui magis vel minus explicitè credere, secundum quod convenit statui & officio*

*officio uniuscujusque.* Idem dicendum est de mysterio SS. Trinitatis, videlicet ut majores satisfactionem dare valeant omni poscenti, & rudes instruere, & hæreticorum erroribus se opponere.

Notandum etiam quòd non sit obligatio sub mortali scire Symbolum seu Articulus fidei memoriter, quantum ad verba & ordinem quo proponuntur, non enim ad hoc obligat ulla lex Ecclesiæ, ut etiam docet Joan. à S. Th. citans Palud. Navarrum & Suarez dist. 13. de fide sect. 5. n. 8. Erit tamen peccatum veniale non addiscere memoriter verboreneus, propter negligentiam, & quia est contra praxim Ecclesiæ. Nisi naturalis incapacitas, aut discendi occasio etiam à veniali excuset. Quod bene notent Confessarii, ne nimis facillè dimitantur sine absolutione personarum rudiores, quæ ob incapacitatem non possunt tam citò illos articulos memoriter tenere, dummodo interrogati satis ostendant se illos omnes credere quoad substantiam & præcipuas partes.

Dixi quoad substantiam & præcipuas partes. Quia aliqua sunt quæ rudiores capere non possunt. v.g. *Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris &c.* Quidnam enim per hanc sessionem ad dexteram Patris intelligatur, multi docti ignorant: & idem judicium sit de nonnullis aliis.

Hæc occasione etiam dicendum erit quidnam

nam ulterius scire oporteat sub præcepto, non quidem in ordine ad credendum, sed ad rectè operandum.

Præcepta decalogi & Ecclesiæ omnes scire debent sub gravi peccato, non quidem quoad Ordinem & verba, sed saltem quoad sensum cum hoc ad rectè operandum sufficiat; modo absit contemptus & crassa negligentia. Scire ergo oportet, & sufficit, Deum esse orandum & honorandem, non licere pejerare, occidere, fornicari &c. Monendi tamen sunt omnes, ut qui facile possunt addiscant articulos fidei, & præcepta tam decalogi quàm Ecclesiæ, non tantum quoad sensum, sed quoad verba & ordinem; sic enim in Catechismis à juventute pueris proponuntur.

Sciri etiam debent Sacramenta quoad numerum & quidditatem, saltem illa quæ sunt necessitatis, v.g. Baptismus, Pœnitentia, S. Eucharistia, & alia pro tempore quando ea recipienda sunt. Excusat P. Suarez à culpa mortali ignorantem orationem Dominicam. Quod tunc solum ut verum approbarem, quando stupiditas seu incapacitas tanta esset ut nullatenus possent retinere: quod valde rarum est; quia saltem cum tempore paulatim unam post alteram petitionem retinebunt. Quidquid tamen sit, scire debent adulti quomodo aut quid orandum sit, quod aptius fieri non potest etiam à rudibus quàm per orationem Dominicam & salutationem Angelicam.

## ARTICULUS VII.

*An Catechumeni debeant plura explicitè credere, quàm alii.*

**R**espondetur affirmativè, quia cum convertantur ab erroribus fidei Catholicæ contrariis, illas veritates debent explicitè credere, quæ istis erroribus opponuntur, & hoc patet etiam ex praxi Ecclesiæ: quæ non tantum requirit ab iis qui convertuntur fidei Catholicæ professionem, sed etiam præcedentium errorum quibus adhæserant abjurationem & detestationem: uti expressè habetur in rituali Romano jussu Pauli V edito, ubi habetur: *Hæretici verò ad Catholicam Ecclesiam venientes, &c. Prius errorum suorum pravitatem agnoscant, & in fide Catholica diligenter instruantur.* Non possunt autem priorum errorum pravitatem agnoscere, nisi explicitè credant & admittant articulos qui istis erroribus opponuntur: quod opus non est in illis, qui semper in Catholica fide fuerunt.

Ac proinde cautè & prudenter Missionarii indagant, cui hæresi illi qui se pro conversione offerunt, adhæserint; & circa præcipua dogmata talis hæresis instruant, ostendendo falsitatem. Ideo etiam omnino convenit ut noscant singulos singularum hæresum errores, ut sciant quo-

quomodo agendum sit cum illo qui revertitur à Lutheranismo, quomodo cum illo qui à Calvinismo, & sic de Anabaptismo, &c. Imo & Judaismo Nihil enim magis agendum est pro firmo fundamento, quam ut falsitatem suorum errorum bene inculcent, antequam in vera fide confirment.

Imo pro intelligentibus, bonum est instruire Catechumenos per singula puncta professionis fidei, & abjuratōnis sectæ contrariæ, secundum formam ab Ecclesia præscriptam, quia in illa præcipua modernarum hæresum dogmata includuntur ut detestanda.

Consultum etiam est, imo quasi necessarium, ut non tantum illi qui ad fidem se volunt convertere, instruantur specialiter in his quæ Ecclesia Catholica contra contrarios errores docet; sed etiam alii, qui licet in fide instructi sint, debent armari contra pericula perversionis, ac proinde sæpius ipsis inculcari debent ea quæ sunt contra errores hæreticos hujus temporis, videlicet veritas corporis Christi in Eucharistiâ, necessitas confessionis, & potestas Sacerdotum ad absolvendum, invocatio Sanctoium, Purgatorium, usus & utilitas indulgentiarum, cultus imaginum & similia: & præcipue primatus capituli Ecclesiæ summi Pontificis, quem omnes hæreses hujus temporis unanimiter impugnant Et hæc necessitas major est in missione, ubi Catholici sub dominio hæretici regiminis, cum hæreticis quotidie conversantur.

ARTI-

## ARTICULUS VIII.

*An licitum sit aliquos articulos pro tempore occultare à quibus catechumenus abhorreat.*

**A**ffirmativam sententiam tenet cum paucis aliis Bæza tom. 1. de Christo figur. lib. 4. cap. 1. §. 3. 1.

Quæ Prob. 1. ex SS. Patribus qui illum modum occultandi, seu dissimulandi, videntur approbasse. Et in primis S. Chrysoft. hom. 1. in Acta Apost. in princ. laudat Apostolos quod prædicationem suam adeo ad captum infirmorum demiserint: *Illud*, inquit, potissimum admirandum in Apostolis, quomodo se ad infirmorum & rudium animos demiserint, atque hoc ipsum eis Spiritus Sanctus suggessit, in hoc illos preparans, ut in dispensando verbo Dei versarentur: unde factum est ut cum tam multa de Christo dixerint, pauca dixerint de ejus divinâ naturâ, plurima verò de naturâ humanâ, de morte, de resurrectione, & ascensu Et infra: *Quin etiam apud Athenienses, Paulus eum simpliciter hominem appellat, nihil attribuens amplius. Idque justâ de causâ, etenim si Christum ipsum de equalitate, quam habet cum Patre, differentem frequenter aggressi sunt lapidibus obruere, eaque de causâ blasphemum appellaverunt.*

D 5

runt.



runt, haudquaquam eum sermonem à piscatoribus accepissent, præsertim cum crux præcessisset. Quid autem de Iudæis loquor, cum ipsi tum temporis discipuli, quoties audiebant sublimiora dogmata, crebro turbati fuerint & offensi? Unde & dicebat Dominus: multa habeo qua vobis dicam, sed in præsentia non potestis ea ferre. Et post pauca: Proinde paulatim ac sensim, (Apostoli) illos instituunt, seseq; miro studio ad captum imbecillum in dispensatione dogmatum demittunt. Cæterum quo magis se demittunt Apostoli, hoc uberior contingit illis è divini Spiritus liberalitate, gratia &c Si igitur ipsemet Christus doctrinam suam mensus sit ad captum discipulorum, differendo ea pro tempore docere, quæ tunc capere non poterant; & idem fecerint Apostoli prædicando Judæis & Gentibus, & per hoc teste S. Chrylost. majorem fructum fecerint cur non erit idem laudabile Apostolicis Missionariis in convertendis hæreticis? Sic etiam putant intelligendum esse Apostolum dum dicit 1. Cor. 3. v. 1. *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam, nondum enim poteratis.*

Etiam cum Paulus Apostolus prædicaret Atheniensibus, nihil tangebat, nisi futurum judicium, & Christum tantum virum appellabat, differens pro tempore ipsius divinitatem, & alia mysteria Sic enim habetur act. 17. v. 30. *Et tempora quidem hujus ignorantia despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes*  
ubique

ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.

Tandem etiam S. Basilius dissimulabat docere pro tempore Spiritus S. consubstantialitatem cum Patre & Filio, ut sic in pace alia prædicans, ad hanc etiam consubstantialitatis vocem postea traheret auditores, de quo dicitur laudatus fuisse à S. Gregor. Nazianz.

Pro resolutione dico, 1. Articuli fidei qui sunt de necessitate medii ad salutem, nullo modo occultari possunt eis qui ad fidem convertuntur. Ratio est: quia sine illis nulla fieri potest vera conversio, cum illos credere sit absolutè necessarium, tam ad primam, quam ad secundam salutem. Tum etiam quia illi articuli sunt de substantiâ credendorum, ergo sine illorum fide non stat vera conversio.

Quod tamen non sic est intelligendum, quod statim à principio omnes articuli, etiam maximè ardui, sint proponendi, hoc enim sæpè esset magnæ imprudentiæ; melius est enim ut prius disponantur rudes per faciliora, & à quibus minus abhorrent; ita tamen ut non admittantur, nec absolvantur nisi omnes tales articuli sint ipsis propositi, & ab ipsis crediti.

A paucis annis similis difficultas proposita fuit S. Congreg. S. Romanæ & universalis Inquisitionis à Missionariis Chinesibus, videli-



cer utrum teneantur Prædicatores Evangelii prædicare in illo regno Christum crucifixum, & exponere crucis imaginem in suis Ecclesiis, eo quod populus ille mirè abhorreat & scandalizetur ex tali prædicatione & imagine Christi crucifixi, Cui difficultati S. Congreg. respondit anno 1645. sequenti decreto: *Nulla prudentiâ aut prætextu differendam esse doctrinam passionis Christi post baptismum, sed præmittendam: Ad actualem verò prædicationem Christi crucifixi, licet non teneantur ministri Evangelii in singulis concionibus, sed ad proponendum verbum Dei, ac divina mysteria prudenter & opportunè & ad illa pro Catechumenorum captu explicanda: non tamen à sermonibus passionis Domini nostri abstinere tenentur, eâ ratione quòd Gentiles inde scandalum sumant, & stultitiam putent. Censuerunt etiam conveniens esse ut in Ecclesiis imagines habeantur Christi crucifixi, & ideo curandum esse ut quoad opportunè fieri potest, exponantur. Hoc responsum approbavit suo decreto Innocentius X. & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sedi Apostolicæ specialiter reservatæ, contrarium condemnavit. Vide Verri-cellum de Apost. Mission. tit. 1. q. 7. sect. 2. Et nostrum Gravina tomo. 3. Præscript. lib. 4. q. 1. princip. arr. ult. ubi latè de ista materia discurrunt; quam ulterius non prosequor, quia in locis missionis inter hæreticos non habet locum, cùm omnes hi in crucifixum*

credant, licet cultum imaginis ejus non admittant.

Dico 2. Articuli qui non sunt de necessitate medii, sed tantum præcepti, non debent statim proponi, si exosi sint: tamen noviter conversi nec baptizari possunt, nec absolvi, nisi proponantur, & ipsi credendo admittant. Licet enim sine fide illorum articulorum salvari possint, qui illos invincibiliter ignorant, tamen Missionarii de illis debent ipsos instruere, ad hoc enim mittuntur ut illa prædicent, quæ omnes credere tenentur, non tantum de necessitate medii, sed etiam præcepti, Tum etiam quia conversi postea conqueri possent quod de novo ipsis proponantur ut credenda, quæ antea ignorabant, & à quibus abhorrebant.

Dico 3. maxime proponendi sunt Catechumenis illi articuli, qui adversantur erroribus quibus antea in hæresi contumaciter adhererant, licet tales sint sine quorum fide salvari possent. Hoc patet ex art. præcedenti, si enim verè convertantur, avertere se debent ab illis quæ ipsos in hæresi detinebant, & quæ in fidei professione debent abjurare, quod debite facere non possent, nisi quoad illa essent instructi.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ Resp. S. Chryostomum non dicere quod Apostolus aliquem baptizaverint antequam crederet Christum esse filium Dei, sed quod à Resurre-

ctione cœperint prædicationem, non ut ibi  
sisterent, sed ut gradum facerent ad profundio-  
ra mysteria, ram divinitatis quam humanitatis.  
Et nihil aliud colligi potest ex doctrinâ ejus.

Locus autem Apost. 1. Cor. 3. nihil con-  
vincit, non enim abscondebatur aliqua mysteria  
ad salutem necessaria, sed aliquos spirituales  
sensus qui in articulis fidei latebant, quantum  
ad perfectam doctrinam. Hoc satis patet ex  
contextu: *non potui vobis loqui quasi spiritalibus,  
sed quasi carnalibus.* Sic etiam Christus  
Dominus non omnia docere voluit Apo-  
stolos, quia non poterant pro tunc omnia  
ferre. Ioan. 16. v. 2. *Adhuc multa habeo vo-  
bis dicere, sed non potestis portare modo.*

Et conformiter ad hæc solvit venerabilis  
Beda argumentum allatum ex Act. Apost. de  
prædicatione Pauli cur Christum non Deum,  
sed virum tantum nominet: *Magis eum ho-  
minem quam Deum nuncupans, incipiensque ab  
illis qua gessit in corpore, & ea divina describens,  
ut plusquam homo fuisse videretur, victam  
unius virtute mortem, mortuumque ab inferis  
suscitatum ( paulatim enim fides crescit ) ut  
supra hominem fuisse crederetur. Quid enim  
interest quo quisque credat ordine? non in  
principiis perfecta quaruntur, sed de initiis ad  
ea qua perfecta sunt, pervenitur. Quibus verbis  
fatis insinuat Apostoli prædicationem apud  
Athenienses cœptam quidem fuisse ab humanâ  
naturâ Christi, ejusque resurrectione, &  
ultimo*

ultimo iudicio; sed quoad eos qui credituri  
erant, ibi non terminatam.

Quoad ultimum S. Basilii quod adversarii  
valde magnificant, Resp. quod non laudetur  
à S. Gregorio quasi occultarit rem consub-  
stantialitatis Filii, sed quia non utebatur illo  
vocabulo à quo aliqui malè intelligentes ab-  
horrebant, uti ipse sanctus Gregorius ibi  
fatetur: *Quar eorum insidias, inquit, ut eluderet  
Basilium, aliis quidem vocibus è Scriptura petitis,  
testimoniisque minimè dubiis, eandem vim  
habentibus, necessariisque argumentis adversa-  
rios ita comprimebat ut nullo modo repugnare  
atque in contrarium nisi possent. Cujus Con-  
siliu probat Baronius ad annum 371. ubi  
dicit: Ex SS. Patrum Hilarii, Augustini, alio-  
rumque sententiâ firmatum est, haudquaquam  
confessionem illam fidei dicendam fuisse hæreti-  
cam, in quâ divinitas filii cum Patre aqualis,  
aliis vocibus, quibus & Arriana hæresis con-  
demnaretur, haberetur expressa, etiamsi in  
Concilio Niceno nomen consubstantialis esset  
silento prætermisum.*

## ARTICULUS IX.

*An occultari aut simulari possit Pontificem  
Romanum esse caput Ecclesiæ.*

**H**ic est lapis scandali omnibus hæreticis  
in quo licet in multis ab invicem ma-  
gis

gis dissentiant, quàm à fide Catholica; in hoc tamen omnes conveniunt.

Et ideo facilius erit in quibuscumque aliis mysteriis hæreticos convincere, quàm in isto solo: quod inde provenit quòd tam in communibus colloquiis, quàm in publicis concionibus, nihil magis impugnetur quàm primatus unius capituli Ecclesiæ Romani Pontificis, & quia tot ab ipsâ pueritiâ in omnibus prædicationibus calumnias contra ipsum audiunt quasi esset Antichristus, plus ab illo articulo abhorrent, quàm ab omnibus aliis.

Non desunt ideo qui putent in hac materiâ dissimulari posse 1. Quia hoc in symbolo Apostolorum non exprimitur, quod tamen fecisse debuissent Apostoli, ut videtur, si hoc explicite credere esse necessarium. Nihil autem habetur in symbolo Apostolico, quàm *Credo in unam S. Ecclesiam Catholicam.*

2. Tamen si hic articulus credendus sit, non tamen est de necessitate mediæ ad salutem, ac proinde pro tempore & loco dissimulari poterit sicut confessio fidei, licet semper obliget, non tamen pro tempore, sed solum in certis circumstantiis, v. g. in quibus agitur honor Dei, & proximi utilitas. Uti postea dicitur.

3. Non est necesse ut explicite quis credat primatum Summi Pontificis, sufficit enim quod credat in unam sanctam Ecclesiam Catholicam: ergo occultari potest sive simulari quod visibile caput Ecclesiæ sit summus Pontifex.

flex Romanus. Prob. consequentia quia per hoc quod quis credat sanctam Ecclesiam Catholicam, implicite etiam credit summum Pontificem.

Tandem etiam: Quia fieri potest quòd convertendus invincibiliter ignoret primatum Summi Pontificis, si de ipso nihil umquam audierit, tunc verò hoc non credendo non erit hæreticus, nec etiam peccabit, ergo relinqui poterit in illa ignorantia, si timeatur quod propositio illius articuli conversionem retardabit aut impediet.

Dicendum tamen conformiter ad prædicta, nihil curandum esse quòd Catechumenus abhorreat ab illo articulo, & inde timeatur quòd propter illum solum se non convertet. Omnia enim illa proponi debent Catechumeno (qui & in illis debet instrui) quæ credenda sunt, ad faciendam perfectam fidei confessionem seu protestationem primatus autem Summi Pontificis explicite & expresse in protestatione fidei continetur.

Necessitas verò dicti articuli ex hoc potest colligi, quia impossibile est explicite credere veram Ecclesiam, nisi credatur etiam ipse caput visibile quod est Pontifex. Tum etiam quia Ecclesia per suum caput est proxima regula proponens credenda, ad quam fideles in illis quæ de fide dubia sunt debent recurrere.

Tandem etiam; nisi fideles credant unum visibile caput Ecclesiæ præesse, non possunt ipsius

ipsius legibus & præceptis obedire, ad quod tamen illi qui convertuntur, se debent promp-  
tos exhibere.

Contra quæ nihil faciunt objecta argu-  
menta. Non primum: quia cum symbolum  
Apostolorum sit breve compendium creden-  
dorum, proponendo unam sanctam Ecclesiam  
Catholicam, sufficienter etiam caput ipsius  
censetur includi: sicut enim ipsa est visibilis,  
præter invisibile caput, quod est Christus, est  
necesse quod etiam visibile caput habeat in  
terris, quod est summus Pontifex.

Ad secundum, fateor quod fides de visibili  
capite Ecclesiæ non sit absolutè necessaria ne-  
cessitate mediæ, in illis tamen circumstantiis  
est necessaria ad veram conversionem: licet  
enim non sit necesse semper illum articulum  
credere, nunquam tamen licitum est discre-  
dere seu negare, quod fieret in nostro casu;  
quamdiu enim non erat conversus ad fidem,  
discredebat illi articulo de visibili capite Ec-  
clesiæ, & ideo censetur in eodem errore  
permanere, quamdiu expressè non objurat,  
aut saltem contrarium profiteretur, quod fieri  
non posset, nisi à Missionario ipsum instru-  
ente hoc ipsi expressè proponeretur. Et sic  
patet etiam ad 3.

Ad Ultimam, fateor quod quamdiu quis  
laborat invincibili ignorantia istius veritatis,  
propter hoc non erit hæreticus, sed ignorantia  
illa debet ab instructore tolli, qui debet docere  
omnia

omnia quæ ad perfectè credendum, & ad  
faciendam fidei professionem requiruntur;  
tametsi timeatur quod si ille articulus propo-  
natur, alter non crederet, sed potius etiam à  
fide aliorum resiliet; hoc ipse sibi impuret,  
dissimulare autem seu occultare tunc prima-  
tum Pontificis, cederet in magnum præjudi-  
cium Ecclesiæ, præcipuè in illis locis ubi ni-  
hil magis impugnatur, ut tanto tutius jugum  
fidei abjiciant. Postquam verò instructi fue-  
rint, excusationem non habebunt in sua incre-  
dultate, propter quam rationem etiam Chri-  
stus Dominus signa & miracula patrabat.

Nec refert quod à pueritia adeo imbuantur  
contra istum articulum per prædicationes Mi-  
nistrorum, qui ferè in singulis suis concioni-  
bus acerrimè debachantur contra Summum  
Pontificem, quod non ob alium finem faciunt  
quàm ut amoto capite facilius in membra de-  
sæviant; aut ut in fabula, lùpus hanc arte cum  
ovibus voluit pacisci, si à se Pastorem & canem  
amoverent, ut ita tunc ipsas invaderet. Sic  
etiam hæretici pseudoministri, rudem popu-  
lum ab ipsa pueritia ab Ecclesiæ capite Summo  
Pontifice nituntur abstertere, quasi Antichri-  
stum depingendo, ut etiam insipida ipsis fa-  
ciant & suspecta quæ à Sacerdotibus à Summo  
Pontifice missis, pro ipsorum instructione de  
Catholica fide proponuntur. Ac proinde arti-  
culus iste tanto magis debet prædicari, & om-  
nibus inculcari, quanto crebrius & indignius  
contra-

contrarium à pseudo-ministris, veris lupis sub ovina pelle, declamatur.

Id quod diximus de hoc articulo capitis Ecclesie, similiter dicendum est de aliquibus aliis v.g. quod extra Ecclesiam non sit salus, quod multi ægerimè admittunt; quibus durum videtur parentes suos & amicos in Calvinismo vel Lutheranismo mortuos, esse damnatos. Cum his & similibus prudenter agendum est, uti supra diximus, ut paulatim instruantur, prius in articulis à quibus non adeo abhorrent, & ita sensim procedendo ad alios, non curando si propter veritatem sibi invisam instructionem non admittant. Instructor enim facit suum officium plantando, & rigando, incrementum autem petendum est à Domino.



TRAC-

## TRACTATUS III.

De Fide externa.

## ARTICULUS I.

*Quando obligatio sit fidem exteriori actu consistendi.*



Ec materia omnino est necessaria pro missione propter varios casus qui circa illam ibi passim occurrunt. Ut igitur sciatur quando & quomodo exterior fides, seu ipsius confessio sit necessaria, præmittam tanquam commune principium, unde omnia resolvenda erunt, doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 3. a. 2. ubi expressè inquirens utrum confessio fidei sit necessaria ad salutem, sic resolvit: *Dicendum quod ea que sunt necessaria ad salutem cadunt sub præcepto divina legis: Confessio autem fidei cum sit quoddam affirmativum, non potest cadere nisi sub præcepto affirmativo. Unde eodem modo est de necessariis ad salutem, quomodo potest cadere sub præcepto affirmativo divina legis. Præcepta autem affirmativa non obligant ad semper, etsi semper obligant: obligant autem pro loco & tempore secundum alias circumstantias debitas, secundum quas oportet actum humanum*

num

num limitari, ad hoc quod sit actus virtutis: sic ergo confiteri fidem, non semper, nec in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda. Et casum subjungit: Puta si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem avertentur à fide. Et ad 1. Argumentum quod sibi objecerat respondet. Dicendum quod finis fidei sicut & aliarum virtutum referri debeat ad finem charitatis, qui est amor Dei & proximi, & ideo quando honor Dei vel utilitas proximi hoc exposcit, non debet esse contentus homo ut per fidem suam ipsi veritati divinae conjungatur, sed debet fidem exterius profiteri. Videatur etiam ad 2. & 3.

His præmissis etiam supponimus, quod etsi confessio fidei eò quod cadat sub præcepto affirmativo, non pro semper tamen semper obliget, uti expressè ibi docet S. Thomas præceptum tamen non negandi fidem, & semper & pro semper obligat, sicut omnia præcepta negativa. Ideo etiam Quotlib. 9. a. 14. probat S. Petrus peccasse mortaliter negando Christum; primo quidem non confitendo Christum, quando ipsius confessio requirebatur. 2. Quia negabat Christum: licet enim internè fidem teneat, externè negabat; quod erat

erat mendacium perniciosissimum in his quæ fidei sunt. Et hoc confirmat auctoritate S. Augustini tomo. 4. lib. de mendacio cap. 6. ubi sic loquitur: *Quis ita evanescat, ut existimet Apostolum Petrum hoc habuisse in corde, quod in ore, quando Christum negavit? Nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat; cur ergo lachrymis diluit quod ore negaverat, si saluti sufficiebat quod corde credebat? cur loquens in corde suo veritatem, tam amaro fletu punxit mendacium quod ore deprompsit? nisi quia magnam vidit esse perniciem quod corde quidem credidit ad justitiam, sed ore non est confessus ad salutem.* Agebat autem ibi contra Priscillianistas docentes mendacia non esse peccata, etiam cum juramento: & jactabant passim pro se perniciosum istum versum: *Iura, perjura, secretum prodere noli.* Fuerunt etiam tertio sæculo hæretici Elcesitæ, quorum antesignanus erat quidem Elxæus, qui tempore Origenis patefacti sunt, teste Euseb. lib. 6. cap. 31. Baronius tamen illorum ortum refert ad annum 105. Quorum præcipuum dogma erat, quod tempore persecutionis, licitum sit fidem negare, modò quis eam mente retineat. Contra illud Matth. 10. v. 32. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Et Luc. 9. v. 26.

Qui

*Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua. Unde iterum August. tract. 62. in Ioan. Quanta vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.*

Confirmant hoc gesta SS. Martyrum, qui maluerunt gravissima perpeti tormenta, quam vel leviter Christum negare Ecclesia etiam olim vix post longam pœnitentiam ad communionem admittebat eos, qui semel ex metu mortis, aut tormentorum Christum negaverant.

Ipsa etiam ratio id ipsum videtur convincere: si enim indignum sit apud homines, si filius neget Patrem suum, & servus Dominum, quanto indignius negare Deum aut Salvatorem suum, qui nos ab æterna morte proprio sanguine redemit? Quod faciunt non tantum qui expressè Christum negant, sed etiam qui ejus sponsam Ecclesiam abnegant, negando se Catholicos esse, Pontificios seu Papistas quibus nominibus Hæretici per contemptum Romanæ Ecclesiæ veros asseclas appellat. Quid post hanc vitam in Dei iudicio respondebunt, qui non metu mortis, sed pro assequendo officio, vel incundo opulento matrimonio, aut ad placendum Regibus vel Principibus, aut spe temporalis alicujus emolumentum, antiquam fidem deserunt, aut deseruisse se fingunt & dissimulant, abnegantes Christum in sponsa sua quod est Ecclesia?

ARTI-

## ARTICULUS II.

*An pro simulanda fide uti liceat verbis amphibologicis.*

**A**ffirmat Suarez tract. de fide disp. 14. sect. 1. n. 10. ubi inquit, utrum si fidelis interrogatur de Christianitate, & hoc intuitu religionis, ita ut qui interrogat per Christianum intelligat Christianæ Religionis Professore, possit excusari etiam à peccato veniali, negando se esse Christianum? Resolvit: si respondens sciat prudenter & rectâ intentione respondere, etiam possit mendacium excusare: quia cum in eo casu non intercedat divinus honor, & interrogans non habeat jus interrogandi, habet locum intelligentia supra dicta, quod non tenetur se manifestare. Hæc P. Suarez: citat autem Navarr. lib. 5. consil. 10. alias 15. n. 2. tit. de hæreticis qui tamen ibi dicit contrarium n. 6.

Dico igitur non licere in materia fidèi respondere verbis amphibologicis, quæ ab interrogante accipiuntur pro negatione fidèi, licet à respondente alius sensus intendatur.

Prob. Hæc resolutio ex epist. 7. Cleri Romani lib. 2. epistolarum S. Cypriani; *Qui fallaces in excusatione prestigias quarit, negavit, & qui vult videri satisfecisse legibus adversus*

E

Evana

*Evangelium positis, hoc ipso jam paruit, quod paruisse veluit. Ac proinde talis amphibologica negationis malitia, non tantum defumenda est ex mendacio, sed præcipue ex injuria contra divinum honorem, fidei veritatem, & Ecclesiæ auctoritatem, dum permittit se haberi, imo tali æquivocatione agit, ut habeatur ab audientibus pro hæretico. Si quis vel ex timore, aut ut aliis complaceret profertet verba blasphemix, quæ licet amphibologicè dicerentur, vellet tamen intelligi ab audientibus in sensu blasphemio, licet ipse apud se alium intelligeret, eadem irreverentia externa committeretur contra divinum honorem, ac si absque tali æquivocatione blasphemias diceret, quamquam aliter sentiret internè, quia sensus internus ab ipso intentus manet occultus audientibus. Imo hoc idem inveniretur, si quis proximo conviciaretur, verbis quidem amphibologicis, volendo tamen ut audientes illa in sensu malo acciperent, licet ipse internè ad bonum sensum reflecteret. Indubiè talis pro contumelioso haberetur, & pro tali puniretur, & apud Deum reus esset externarum contumeliarum contra charitatem proximi. Idem est de exteriori negatione fidei per verba amphibologica, cum voluntate seu intentione ut interrogantes, seu audientes credant ipsum fidem negare.*

Idem dicendum est de eo qui externè fingit se circa articulos fidei dubitare, ne aliis displiciat.

displiciat. Qui enim fingit se in fide dubitare, fingit se fidei certitudinem negare, sine qua fides non esset fides. Talis etiam fictio dubitationis injuriosa est infallibilitati divinæ veritatis seu testimonii.

## ARTICULUS III.

*An liceat negare se esse Sacerdotem aut Religiosum si hoc ab infideli petatur.*

**R**espondeo affirmativè: hoc enim non est fidem negare, sed tantum statum: potest enim servus Christi esse & verus Catholicus, licet non sit Clericus, Sacerdos aut Religiosus; Et si fidem negaret qui se Religiosum aut Clericum negaret, non liceret etiam uti veste sæculari, quod nemo dixerit. Et idem dicendum est de quacumque actione, sine qua subsistere potest fides, ut si Sacerdos interrogaretur an celebraverit, aut laicus utrum sacramentum audiverit; illa negando non nisi officiosum & veniale mendacium committeretur, à quo etiam excusari possunt aliud dicendo, quo formale mendacium evadant. In illis igitur & similibus casibus nec directè, nec indirectè fides negatur.



94 TRACTATUS III.  
ARTICULUS IV.

An Interrogatus de fide tacere possit  
aut simulare ?

**P**ostquam actum est de negatione fidei nunquam licitâ , agendum est de confessione fidei, Et primò quidem, an licitum sit fidem tacendo occultare , quando de illâ interrogatur ? Quæ interrogatio fieri potest vel auctoritate publicâ vel privatâ.

Dico 1. Qui auctoritate publicâ, v.g. à Tyranno, aut Rege aut Magistratu hæretico interrogatur de fide suâ, non potest tacere, nec fidem simulare, sed ipsam tenetur confiteri, etiam cum periculo notabilis damni temporalis, imo etiam vitæ Patet 1. ex auctoritate Christi Luc. 9. v. 26. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua. Quæ comminatio tunc maxime locum habet*

S. August ad Casula. Et refertur c. *Quisquis* q. 3. *Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum.* Et post pauca, *uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia ut ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.* Item S. Chrysost. & refertur ibidem c. *Nolite timere. Nolite timere*

DE FIDE EXTERNA. 95

*timere eos qui occidunt corpus ne forte propter timorem mortis non liberè dicatis quod audistis. Et infra : non solum, ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem palam, pro veritate mendacium loquitur, sed etiam ille qui non liberè veritatem pronuntiat, quam liberè pronuntiare oportet.*

Probatur etiam auctoritate & ratione S. Thomæ, prout supra retulimus; qui resolvens quando oporteat fidem confiteri, Respondet : *Quando per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda, puta, si aliquis interrogatus de fide taceret; & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alius per ejus taciturnitatem averteretur à fide.* Sed hoc totum fieret si quis publicâ auctoritate de fide interrogatus taceret aut dissimularet : ergo talis faceret contra præceptum confessionis fidei. Min. Probatur : Honor Dei conjunctus est cum honore fidei Christianæ seu Catholicæ, cujus Auctor est ipse Deus; Honor autem fidei tunc maxime periclitatur, quando quis de illâ publicâ auctoritate interrogatus non auderet illam confiteri, quia ex hoc crederetur, vel quod non esset Catholicus, aut quod si sem Catholicam non haberet pro verâ, & sic quodammodo ipsam contemneret, aut parvi faceret, magis volens juratis inimicis fidei tacendo subservire, quam fidei patrocinium suscipere. Ac  
E 3 pro-

proinde subtraheretur honor fidei debitus, & consequenter ipsi Deo. Imo sic etiam non parum ageretur contra utilitatem proximi, maximè si vir tunc tacens haberetur pro viro docto & alicujus dignitatis,

Quando autem loquimur de auctoritate publicâ, non tantum intelligitur quando hoc fieret in loco publico, puta in tribunali aut domo civicâ, ubi actus publici solent exerceri; sed satis est quod hæc interrogatio fiat à personâ habente publicam auctoritatem.

Quid si Prætor qui executor est publicæ sententiæ aliquem apprehendat in locis ubi sub pœnâ mortis, exilii aut gravis multæ prohibitum est Catholicis habitare aut commorari, & sic apprehensum interroget an sit Catholicus, Papiſta, aut similiter, utrum talis censendus sit interrogari publicâ auctoritate ad hoc ut fidem non liceat tacere?

Respondeo affirmativè. Quia Prætor ad hoc habet publicam auctoritatem ut Catholicos inquirat: sic habet in Hollandiâ ut inquirat Sacerdotes & Religiosos

Aliud tamen esset si non ex officio, sed tanquam persona privata in aliquo consortio interrogaret: tunc enim, dummodo abesset scandalum, tacere posset.

Pro contrariâ tamen sententiâ citatur *Cocinck de fide disp. 15. dub. 5. concl. 6. n. 109.* ubi docet quod quando infidelis aliquis etiam publicâ auctoritate interrogat Christianum

aut

aut Catholicum de fide, ut hac ratione vexet illum, si hic declinare possit confessionem fidei, absque eo quod intelligatur fidem negasse, licitè hoc facere possit Pro quâ etiam citatur *Castropalaus tomo 1. tract. 4. disp. 1. puncto 14 n. 3.*

Probant autem 1. Fidelis potest fugere ne interrogetur de fide à Tyranno, ergo potest etiam tacendo declinare responsionem, licet juridicè interrogetur, nulla enim in hoc apparet disparitas.

Resp. latum esse discrimen inter fugam & silentium interrogante Tyranno; fugiens enim ipsâ suâ fugâ manifestat se esse Christianum aut Catholicum, cum propter fidem fugiat, timens tormenta aut alia damna: non autem fugit confessionem fidei. Tacens autem publicè interrogatus taciturnitate suâ non vult cognosci nec haberi pro Catholico.

2. Obijciunt: In hoc casu non fit aliquid contra honorem Dei, aut proximi utilitatem, supponendo quòd illâ confessione fidei non sint infideles convertendi, nec fideles in fide confirmandi, solum ergo sequitur quod si confiteatur fidem suam, cognoscat Tyrannus ipsum esse Catholicum, nec aliud malum ex taciturnitate, quàm quòd non habeatur pro Catholico; quod valde parum conducit ad gloriam Dei.

Resp. Quod ex hoc argumento evidenter sequeretur præceptum Confessionis fidei nunquam



quam obligare, nisi quando spes esset convertendi infideles, aut confirmandi fideles in fide. Et sic numquam locum haberet comminatio Christi: *Si quis erubuerit me & meos sermones, &c.* Ipse etiam mittens ad prædicandum discipulos suos noluit esse sollicitos dum starent ante Reges & Præsides, quid aut quomodo loquerentur, sed quod daretur ipsis quemadmodum responderent aut loquerentur; non autem dixit, quomodo tacerent, imo monuit ut non timerent illos, qui occidunt corpus. In probatione autem ostendimus, quomodo in isto casu tacendo peccaretur contra honorem Dei & utilitatem proximi, qui non posset non scandalizari, ex taciturnitate illius Catholici qui taceret, dum tempus est fidem profitendi.

3. Obijciunt: Neque Tyrannus, neque quicumque Princeps aut Magistratus habet juridicam auctoritatem inquirendi ab aliquo de fide sua; ergo sicut reus non tenetur respondere interrogatus à Judice incompetenti, imo & potest delictum suum negare; ita fidelis sic interrogatus tacere poterit.

Respondetur: Tamen si in re, talis Tyrannus aut Princeps hæreticus non habeat veram auctoritatem juridicè interrogandi de fide aut Religione alicujus, quia tamen passim à suis subditis habetur tamquam habens legitimam potestatem, ideo idem scandalum sequeretur, ac si illam potestatem verè haberet.

Dico 2.

Dico 2. Per se loquendo, licitum est tacere quando quis de fide sua interrogatur à persona privata, maximè si interrogatio illa non fiat publicè

Probat. Quia in tali casu ab unoquoque judicabitur hanc taciturnitatem non procedere ex parvipensione fidei, sed ex parvipensione personæ indebitè & sine auctoritate interrogantis. Et sic ipsi responderi posset. Quid ad te? Dices: etiam in tali casu confessio fidei cederet in honorem Dei.

Resp. Hoc quidem verum esse, & ideo sapè laudabile esset tacere: tamen tunc non cederet contra honorem Dei. Eò quòd nulla ratio sit cur sic interroganti responderi debeat.

Dixi per se. Quia ratione circumstantiarum potest eadem ratio esse, sicut quando interrogatio fit auctoritate publicâ, videlicet quando per accidens, etiam tunc taciturnitas cederet in damnum spirituale proximi, v. g. si interrogatio à privata persona fiat publicè, præsentibus multis fidelibus debilibus infide, & persona interrogata habeatur pro gravi & magnæ æstimationis, ex cujus taciturnitate apprehenderent alii ipsum fidem suam non magni facere: & similiter si essent aliqui hæretici, aut alii infideles præsentis proni ad se convertendum, qui facile inde averterentur, videntes tam parvum animum in Catholicis qui non audeant religionem suam profiteri. In illis circumstantiis obligatur quilibet fi-



100 TRACTATUS III.

delis interrogatus sive ab habente publicam auctoritatem, sive ab illam non habente, fidem suam profiteri, nec tunc possit tacendo simulare. Quod etiam expressè habet S. Thomas ubi supra ad 2. *In casu necessitatis ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendam, infidelium insultationem.*

ARTICULUS V.

*An omittenda sit professio fidei quando nulla speratur utilitas sed tantum timetur turbatio?*

**S** Thomas ubi supra 2. 2. q. 3. a. 2. ad 3. hoc dubium sic resolvit: *Dicendum quod si turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifestâ, absque aliquâ utilitate fidei vel fidelium, non est laudabile in tali actu fidem publicè confiteri. Unde Dominus dicit Matth. 7. v. 6. nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis Margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos. Sed si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contemptrâ perturbatione infidelium, debet homo publicè fidem confiteri: unde Matth. 15. v. 14. dicitur quod cum discipuli dixissent Domino quod*  
Pha-

DE FIDE EXTERNA. 101

*Pharisei audito ejus verbo scandalizati sunt, Dominus respondit: sinito illos, scilicet turbari, caci sunt & duces cecorum. Si dicas quod Christus multa bona dixerit Judæis per quæ ipsi quasi dirumpebantur, Respondetur quòd hoc faciebat propter bonos qui cum malis erant, qui inde proficiebant. Sic etiam S. Thomas. Quæ resolutio cum tam clara sit, illi nihil debet superaddi.*

Notandum tamen quòd hæc dicta sint præcipuè circa titulum confessionis in utilitatem proximi, quia quoad titulum honoris Dei numquam omittenda est, quando quis publicâ auctoritate interrogatur.

ARTICULUS VI.

*Utrum fideli liceat fugere tempore persecutionis.*

**R** Esp. Affirmativè. Quod probatur 1. ex doctrina Christi Matth. 10. v. 23. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* 2. Exemplo Apostoli qui ut fugeret, cum propter ipsum portæ civitatis custodirentur, permisit se per murum in sporta demitti ut haberetur Act. 9. v. 25. & 2. Cor. 11. v. 33.

3. Etiam exemplo plurimorum Sanctorum videlicet Athanasii, Sylvestri, Blasii, Cypriani,

Polycarpi & aliorum qui tempore persecutionis fugerunt. Imo ipse S. Cyprianus dixit: *Qui interirum cedit, non fidem negat, sed tempus expectat, nam foris qui non secedit, negaturus remansit.*

Ratione etiam Prob. conformiter ad supra dicta: Quia qui sic fugit, per hoc non significat se non esse Catholicum, vel negare fidem Christi, sed potius nolle se fidem negare, alioquin non fugeret: sed tantum significat se fugere periculum negandi, vel (uti de Apostolo præsumendum est) ut diutius vivere possit ad fidem Christi propagandam.

Nihilominus tamen aliquando talis fuga esset illicita, maximè in Pastore & Episcopo, qui tempore persecutionis communis ovibus suis magis sunt necessarii. Ideo Christus hoc discrimen posuit inter verum Pastorem & mercenarium Joan. 10. v. 11. *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis: mercenarius autem & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propria videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit, & lupus rapit & dispergit oves: Mercenarius autem fugit quia Mercenarius est.*

Unde & Nicolaus Papa, uti refertur c. *Sciscitaris*, circa hanc materiam consultus ab Episcopo Morinensi, sic respondit: *Si perniciosum est Proretam seu Gubernatorem aut Naucleum in tranquillitate navim deserere, quando magis in fluctibus?* Et S. Th. 2. 2. q. 185, a. 5. c.

Vbâ

*Vbi subditorum salus exigit persona Pastoris presentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commo- dum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis, &c.*

Duo Argumenta objici possunt contra primam nostram resolutionem, ad probandum quod nunquam fugere liceat in persecutione, quam materiam latè tractat. Tertul. lib. de fugâ in persecutione. 1. Culpantur Apostoli quod fugerunt, Domino suo relicto inter manus militum, qui venerant ad ipsum comprehendendum. 2. Ex Historiâ Ecclesiasticâ, in quâ refertur de illis quadraginta martyribus damnatis ad moriendum frigore in aquis congelatis, ita tamen ut qui se salvare vellet, posset inde discedere, & cum ex omnibus unus exiret, miles infidelis qui 40 coronas paratas viderat, loco alterius successit, & martyr obiit. Ergo magna culpa est fugere quando confessio fidei est necessaria.

Ad 1. Resp. Apostolos culpari non præcisè quia fugerunt, sed propter scandalum, vel propter dissidentiam, cum timere non debuissent, experiri toties magistri sui potentiam, quem proinde non nisi de ipsius mandato deserere debuissent: ideo verè culpandi erant, fortè tamè venialiter tantum ob nimiam consternationem, non satis fecientes quo se vertere debuissent.

E 7

Ad 2.



Ad 2. facile Resp. unum illum militem ex quadraginta illicitè fugisse, eo tempore quo publicè fidem confiteri debuisset, & ita ipsius fuga quasi virtualis erat fidei negatio. Illud enim signum datum erat à Tyranno, quòd is qui ex balneo sponte exivisset, à Christianâ fide defecisse conseretur.

ARTICULUS VII.

*Virum liceat simulatè exercere actiones falsæ Religionis.*

**S**UPponimus 1. nos hîc non loqui de talibus actionibus quæ per se involvunt negationem veræ fidei; sicut enim hæc nunquam est licita, ita nec actiones ipsam significantes, 2. Quod non loquamur pro tempore, & loco aut illis circumstantiis, quando professio fidei est necessaria, quæ cum actionibus simulatis falsæ sectæ subsistere non potest. 3. Etiam quod actiones aliquæ sint de se indifferentes, & solum ex modo & circumstantiis ordinantur ad ritum falsæ Religionis, quales sunt comestio aut abstinencia à certis cibis, usus certarum vestium, de quibus infra. Aliæ autem sunt quæ vel ex naturâ suâ, vel ex institutione, & usu ordinatæ sunt ad significandam falsam religionem, quales sunt circumcisio, sumptio cœnæ

Gal.

Calvinisticæ, & similes: & de hoc genere actionum est præfens dubium.

Pro parte autem Affirmativâ patrocinatur Adrianus VI. in 4. tract. de Baptismo q. 1. a. 1. ad 5. Qui utitur sequentibus argumentis.

1. Ex S. Hieron. in 2. ad Gal. ubi ait: utilem esse simulationem & assumendam in tempore. Et subdit: *nec mirum justos homines aliqua simulare pro tempore, ob suam & aliorum salutem, cum & ipse Dominus noster non habens peccatum, nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpsit, ut condemnans in carne peccatum nos in ea faceret justitiam Dei.*

2. Exemplo Regis Jehu qui ut habetur 4. Reg. 10. v. 19. ad occidendum Sacerdotes Baal finxit se velle cum illis Sacrificare, quod etiam simulabat se facere; quod factum Deus videtur laudâsse. v. 30. *Studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis.*

3. Elisæus Propheta postquam sanâset Principem Syriæ Naaman Syrum, & ille per hoc ad verum Deum conversus solam hanc peteret licentiam ut in templo Remmon Idoli, comitando Regem genu flectere posset, & ut inquit, *illo inuito super manum meam, si adoravero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus.* 4. Reg. 5. v. 18. hoc ipsi indulsit dicendo: *vade in pace.*

4. Idè probatur Ratione: si esset in similibus actionibus aliqua malitia, hoc esset vel ratione simulationis, vel negationis fidei, vel illicitæ

occul-



## 106 TRACTATUS III.

occultationis ipsius: Sed nihil horum est: ergo ex nullâ parte apparet quare sint illicitæ Min. Pr. quoad 1 partem, quia talis simulatio tantum est materialis, quia qui sic operatur per se non intendit significare falsum, neque alios decipere, sed talem actionem exercet ut medium utile ad alium finem à se intentum qui est bonus & honestus, ac proinde solum permittit alios decipi quod sæpe licitum est. Simulatio autem materialis non est peccatum, sicut nec mendacium materiale. Et S. Thomas 2 2 q. 111. a. 1. non aliam malitiam ponit in simulatione, quam illam quæ invenitur in mendacio, sicut hoc consistit in verbis contra mentem, ita simulatio formalis in actionibus contra mentem. Prob. etiam 2. pars Minoris: Quia supponimus quod actiones istæ non involvant negationem fidei, nec fiant illo tempore quo obligat professio fidei, & sic etiam manet probata 3. pars.

Nihilominus sententia est negativa, videlicet quod numquam licitum sit tales actiones exercere. Quæ est communis, imo sententia Adriani improbabilis est tamquam perniciofa fidei.

Prob. 1. Ex Apostolo 2. Cor. 6. v. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras?* &c. ubi S. Thomas: *Nolite jugum ducere, id est, nolite communicare in operibus infidelitatis cum infidelibus.*

2. Ex epistola Cleri Romani ad S. Cypria-

NUM

## DE FIDE EXTERNA. 107

num quæ inter ipsius epistolas ponitur 3 1. *Non est immunis in scelere, qui vult videri propitiis adversus Evangelium vel edictis, vel legibus satisfecisse; nam hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit.*

Etiam ex S. Chrysoft. hom. 25. oper. imperf. cujus verba alibi latè retulimus, ubi inter reliqua dicit: *Si quis tibi dicat, non manduces idololhytum, sed aspice tantum ad idola, quomodo speciosa sunt; si aspexeris provocatus, oculis tuis negasti Christum, non quia idola aspiciere aliquid sit, sed quia invitatus aspicias, peccas.*

3. Auctoritate S. Th. & ratione inde deductâ 2. 2. q. 111. a. 1. Tales actiones sunt mendacia perniciofa, ergo semper illicita. Anf. Prob. *Simulatio proprie est mendacium quoddam in exteriorum factorum signis consistens, non refert autem utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto.* Quod autem sit perniciosum Prob. tum quia est in re gravissima in qua agitur de honore & veritate fidei Catholicæ. Tum etiam quia sic operans assumit proprium signum infidelitatis, ac proinde quasi protestatur se esse hæreticum.

4. Talibus actionibus non tantum occultatur fides, sed verè negatur, ergo sunt mendacia perniciofa & numquam licita. Anf. Prob. Qui se diceret esse Judæum, Lutheranum aut Calvinistam, fidem negaret, quia per hoc negaret se esse Catholicum. Idem autem fit per tales actiones; nam verba ideo non possunt usur-

usurpari ad confitendam falsam religionem, quia per se in usu sunt & iustitia ad talem significationem quæ ab ipsis est inseparabilis sed idem est de illis actionibus de quibus agitur; sunt enim per se institutæ ad significandum illum religiosum cultum, qui à sectariis observatur, nec habent alium morale usum: ergo sicut ille qui verbis affirmat se esse hæreticum aut Judæum, etiamsi id faceret ficto animo, fidem tamen suam exterius negat, ita qui illas actiones exerceret, licet ficto animo, Nec refert, si diceret se tantum facere illas actiones materialiter, & ut medium utile ad suum finem. Quia actiones illæ ex usu & primaria institutione inseparabiliter habent illam significationem, imo non sunt medium utile ad finem suum, scil. ad occultandam fidem suam, nisi in quantum significatiivæ sunt falsi cultûs: ergo tametsi sic operans nolit, ipso facto utitur illâ actione tanquam signo cultûs falsæ Religionis.

Tandem Prob. Ab inconvenientibus: quia sequeretur ex primâ sententiâ licitum esse communicare in ritibus hæreticorum, quotiescumque aliqua causa subest, & sic posset filius, ut patri condescendat, aut ne perdat hereditatem, sumere cœnam Calvinisticam, & similiter uxor ne displiceat marito, ipsam alioquin male tractanti. Imo pro habendo aut non perdendo officio, etiam cum specioso fine videl. ut per hoc secretò multa bona præstare possit Ecclesiæ. Quæ omnia nemo facilè admiserit.

Ad

Ad Argum. 1. Resp. Magnam olim fuisse controversiam inter S. Hieronymum & S. Aug. circa observantiam legalium. Ipse enim docebat legalia à morte Christi statim fuisse mortua & mortifera. August. verò quod tantum mortua, nullatenus autem mortifera. In sententiâ autem suâ vult Hieronymus excusare Apostolos, cur adhuc interdum legalia observarent, v. g. simulando tantum. Ipse autem postea factus est se non definiendo circa hoc quiddam dixisse, sed tantum proposuisse aliorum interpretationes. Videatur S. Th. super Epist. ad Gal. 2. lect. 3. ubi utramque sententiam pulchrè describit, adhærens S. Augustino. Verba autem quæ adferuntur in argumento nihil premunt: Non enim Christus Dominus assumpsit carnem peccaminosam, nec voluit ut peccator agnosci, sed tantum in similitudine carnis peccati, voluit iustitiam nostram operari.

Ad 2. Breviter Resp. ex S. Th. 2. 2. q. 111. a. 1. 2. *Simulationem Iehu non est necesse excusari à peccato, vel mendacio, quia malus fuit, usque ad idololatriam Hieroboam non recedens: commendatur tamen, & temporaliter remuneratur à Deo, non pro simulatione, sed pro zelo quo destruxit cultum Baal.* Quibus verbis nihil addendum.

Ad 3. Resp. Quod genus flexio illa pro quâ licentiam petebat Naaman Syrus, non erat signum adorationis idoli, sed obsequii Regi præstandi, cujus manum de more sustinere non

## 110 TRACTATUS III.

non poterat, si Rege flectente ipse non flecteret, ac proinde tantum erat cultus civilis erga Regem, non Religiosus erga idolum. Nec refert quod petat ignosci si adoraverit in templo Remmon adorante Rege, non enim loquitur de vera adoratione, sed tantum de genuflexione, ut Rex ipse manu posset inniti: verbum quippe *adorandi* in Hebræo textu tantum significat incurvationem sui corporaliter, quod omnino indifferens est ad adorationem civilem & religiosam. Ex circumstantiis autem satis patebat quod tantum agebatur de adoratione seu incurvatione civili, ut Rex ipsi inniteretur.

Ad 4. Arg. à ratione satis patet ex 3. & 4. probatione nostræ resolutionis.

## ARTICULUS VIII.

*Vtrum licitum sit audire conciones  
Hæreticorum.*

**T**Ametsi audire illas conciones non sit una de illis actionibus, de quibus præcedenti articulo locuti sumus, si consideretur secundum se, ex circumstantiis tamen potest iisdem adcerneri,

Dicendum igitur 1. non licere Catholicis hæreticorum concionibus interesse, eo modo  
ut

## DE FIDE EXTERNA. III

ut censeatur esse unus ex ipsis. Quod fieret si illas frequentaret ex hæreticorum mandato, aut per modum virtualis protestationis, aut causâ honoris.

Prob. quoad primam partem: quia Paulus V. consultus à Catholicis Angliæ tempore persecutionis inceptæ ab Elisabetha Regina, utrum ipsis esset licitum parere mandato Reginæ, quo cogebantur ad hæreticorum templa accedere & conciones audire: & hoc multiplicata 20. librarum Anglicarum, dummodo 16. annum ætatis excessissent. Respondit speciali Brevi suo dato 10. kal. Octob. 1606. his verbis: *Accepimus compelli vos gravissimis pœnis propositis templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse. Profecto credimus proculdubio eos qui tantâ constantiâ atrocissimas persecutiones, infinitas præmodum miseras hæcenus perpefferunt, ut immaculatè ambularent in lege Domini, nunquam commissuros esse, ut coinquinentur communionem desertorum divina legis. Nihilominus zelo Pastoralis officii nostri impulsus, & pro paterna nostra sollicitudine quæ de salute animarum vestrarum assidue laboramus, cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipse in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus, ac vestre salutis,*

Ita

Ita refert Suarez lib. 6. in Regem Angliæ in Proëmio. Ex quo Summi Pontificis decreto fatis patet quantam hoc in se malitiam includat, ut ipse in hoc cum miseris illis Anglis noluerit indulgere, quia hoc fieri non poterat sine detrimento divini cultûs, ac salutis animarum.

Confirmari hoc potest ex S. Chrysoft. aliquoties supra citato in hom. 25. in Math. oper. imperf. cap. 10. ad illa verba: *Qui me confessus fuerit: Si quis tibi dicat, inquit, non manduces idolothytum, sed aspice tantum ad idola quomodo speciosa sunt, si aspexeris provocatus, oculis tuis negasti Christum, non quia aspiciere idola aliquid sit, sed quia invitatus aspicias, peccas, &c. Si verò dixerit tibi, nolo ut aspicias idola, sed tantum ausculta, quomodo ille Gentilis blasphemavit Christum, ut glorificet Deos, si auscultaveris auribus tuis, Christum negasti.*

Ac proinde non est licitum ex mandato, aut ex inductione concionibus hæreticorum interesse, ne sic magis obediatur hominibus, quam Deo.

2. Id illicitum est ratione scandalî, primò quidem ex parte hæreticorum qui inde gloriantur quòd habeant tot auditores, & quòd Catholici tam inconstantes sint ut ex humano respectu, aut timore aut propter lucrum, aut officium ad ipsos accedant, & conciones suâ præsentia approbent & honore afficiant. Unde magis in suo errore obduraantur, & Catho-

licos

licos despiciunt. De quo Sanderus lib. 3. Histor. Anglic. hæc habet: *Interim Regina, scilicet Elisabetha, & sui, ab initio præclare secum existimârunt, quod cum tot essent antiquæ fidei in regno cultores, plerosq; tamen scirent ritus à se præscriptos publicè vel amplectari, vel utcumque præsentia suâ exterius approbare, licet interius aliam fidem (de qua ipsi non adeo curabant, vel ad tempus dissimulandam censebant) colerent.* Ex quo patet quantum per hoc hæretici foveantur in suo malo.

Etiam propter scandalum aliorum Catholicorum, qui si infirmiores sint, & videant passim alios, qui doctiores & graviores sunt, hæreticorum conciones suâ præsentia honorare, ipsos facillè imitantur, imò sæpè per hoc dubitare incipiunt, an non sit approbanda doctrina cui videntur etiam Catholici, qui intersunt, applaudere. Dato igitur quòd hoc ex se malum non esset, tamen propter hoc scandalum deberet vitari, uti Apost. docet Rom. 14 v. 21. *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Et 1. Cor. 8. propter scandalum vult abstineri à cibus licitis. Accedit etiam quòd ipsorum conciones sarcitæ sint blasphemis, & calumniis contra Papam, & omnes Ecclesiasticos Ideo S. Irenæus Epist. 4. ad Plebem de hæreticis sui temporis, dicebat: *Vitate lupos, qui oves à Pastore secernunt.*

3 Ra-

3. Ratione periculi: Audire prædicantem, est medium ordinatum ad sibi imprimendam prædicantis fidem, ergo semper periculosum est hæreticorum concionibus interesse & illas audire. Ans. Prob. Rom. 10. v. 17. *Fides ex auditu & paulò ante dixerat v. 14. Quomodo autem audient sine prædicante?* Et 2. Timoth. 2. v. 16. *Profana autem & vaniloquia evita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut Cancer serpit, ex quibus est Hymeneus & Philetus, qui à veritate exciderunt ubi S. Th. Profana dicuntur, quasi procul à Fano, scilicet cultu divino, & hæc sunt documenta hæresum: & hæc vitanda.*

Si nullus audiisset Arrium, Nestorium, & idem est de Luthero & Calvino & ipsorum afsectis, nullus fuisset Arrianus, Nestorianus, Lutheranus aut Calvinista. Quod ipsi hæretici experti, omnibus modis conantur allicere ad se quoscumque, divites promissione officiorum & dignitatum, pauperes verò Eleëmofynis, tantum ut ipsos ad suas conciones attrahant, qui licet prius illis promissis aut donis allekti frequentent, paulatim venenum imbibunt, præsertim ob libertatem quæ in hæresi promittitur, excusso jugo Ecclesiæ & præceptorum ipsius, & maximè confessionis. Et propter calumnias (ut supradixi) quas de Romano Pontifice pseudo-ministri in suis prædicationibus effutiunt.

Hinc facillè resolyi poterunt casus quidam  
circa

circa hanc difficultatem nuper mihi propositi.  
1. Erat de quodam Artifice Catholico oprante incorporari cuidam civitati ad fruendum immunitate ac libertate civili, & aliis privilegiis; Quia tamen magistratus erat hæreticus monebatur, ut frequentaret tantum hæreticorum conciones, & ita se ostenderet non alienum ab ipsorum religione, licet interne servaret fidem Catholicam. Alius casus erat, de viro quodam nobili, & satis magnæ dignitatis, converso ad fidem Catholicam; qui ut hoc alios amicos suos posset latere, nihil aliud requirebat, quàm ut posset externe communicare cum hæreticis in ritibus non essentialibus, v. g. in audientiâ concionum, & cantu Psalmorum. Et hoc ipsi dicebatur indultum à viro quodam religioso, per litteras quas vidi ab ipsis hæreticis in Frisia impressas, cum aliis plurimis quas in turbatione cuiusdam sacerdotis interceperant: cujus hæc erat ratio: Quia auditio concionum hæreticorum solum prohibita est lege humanâ scil. Ecclesiæ in quâ dispensari potest pro majori bono salutis v. g. conversionis talis viri.

Nihilominus tamen dico in neutro casu hoc esse permittendum propter fundamenta supraposita. Quia in illis circumstantiis illa frequentatio seu auditio concionum, est virtualis protestatio seu confessio Religionis hæreticæ, aut ad minus aliqua approbatio, & expositio sui periculo perversionis. Quæ latus se extendunt, quàm ad jus humanum.

F

Dicen-

Dicendum 2. Quod aliquando sine peccato mortali, imo sine ullo peccato, quis interesse possit concionibus hæreticorum, unâ aut alterâ vice: videl. si ex merâ curiositate, sine ulteriori sine semel aut iterum hoc faciat, ita tamen ut non se ponat inter ipsos quasi unus ex ipsis. Nisi fortè curiositas versaretur circa hæreticorum doctrinam, volens examinare an sibi bona videatur, tunc enim esset peccatum mortale. Si vero id fiat bono fine ad illos confundendos aut irridendos, si ad hoc capax sit qui hoc faciat, non erit ullum peccatum; sed sufficienter illa scisci possunt ex ipsorum libris ab illis quibus licitum est illos legere. Superest solum inquirere, an licitum sit famulis & ancillis comitari dominos aut dominas suas hæreticas dum vadunt ad ipsorum templa. Resp. Quod si tantum debeant eò ferre sedem, aut pulvinar aut quid simile hoc licitum erit. Manere autem ibi, rarò debet permitti ob pericula, cum ordinariè tales personæ non polleant magno ingenio, & sic facilè perverti possint. Imo periculosum est ipsis, similibus Dominis cohabitare.

ARTI-

## ARTICULUS IX.

*An licitum sit Catholico agere Organistam, aut Edituum, seu custodem templi hæreticorum.*

**L**ayman l. 2. tract. 3 c. 13. §. *simili ratione* tenet ædituum seu custodem templi hæreticorum, si convertatur ad fidem, in illa functione post conversionem posse aliquanto tempore perseverare, dummodo quantocius datâ oportunitate se inde expediat; supposito tamen quod interea absit scandalum. Et similiter §. *Deniq;* immediatè præcedenti, excusat pulfantem campanam quâ hæreticorum concio congregatur, dummodò gravis aliqua causa hoc ita requirat.

Dicendum tamen neutrum licere, uti nec Organistæ Catholico ludere sub ritibus hæreticorum. Ita Lessius in præl. posth. tit. hæret. casu 11. Et Verricelli tract. 1. de fide q. 34. n. 10 Et alii. Sed claritatis gratiâ præmittendum: in aliquibus civitatibus Hollandiæ Organistam adhiberi, non ut ludat tempore quo hæreticorum ritus exercentur, v. g. dum cantant Psalmos ante & post concionem, aut distributionem ecenæ, sic enim hoc illicitum est, uti postea probabitur. Sed à prandio, tempore quo eò veniunt sive mercatores, sive alii causâ

F 2

obam-

obambulandi, prout ibi moris est. Si autem solum ad hoc conducatur, non video cur damnandum sit, quia hoc nullatenus est contra externam professionem fidei. Et idem est de illo cui tantum incumbit pulsare campanam, ad dandum signum operariis, illis horis quibus accedere, & abscedere debeant ad opera sua, vel ad claudendam portam civitatis, vel ad extinguendum incendium, vel pro sepultura, vel pro similibus quæ nullatenus tangunt ritus religionis ipsorum.

Probatur igitur non licere organistam agere tempore quo aliqui ritus hæretici exercentur, vel ad illos disponuntur, nec campanas pulsare ad convocandum ad illos ritus, & multò minus agere Aditum, quæ omnia ad talia hæreticorum exercitia disponunt. Quia omnibus illis modis sit cooperatio cum ritibus hæreticorum, sed hoc intrinsecè malum est, & consequenter numquam est licitum, in quocumque etiam casu necessitatis: Maj. autem per se patet, consideranti dictas functiones.

## ARTICULUS X.

*Vtrum Catholico liceat comitari funera hæreticorum.*

**N**on loquimur hic de hæreticis denunciatis; sicut enim illicitum est cum illis

com-

communicare dum vivunt, ita etiam post mortem; quod solum fieri posset per sepulturam; licet autem non possit ipsorum corporibus negari sepultura, saltem profana, comitari tamen funus, quod est aliquem honorem præstare, non est licitum. In missione autem de qua agimus, denuntiatio numquam, aut vix unquam locum habet, videlicet in partibus Hollandiæ & aliis confœderatis Provinciis, in Anglia & aliquibus Germaniæ & Galliæ locis, & alibi in similibus Regnis aut Provinciis, in quibus rarissima est personalis denuntiatio hæreticorum. Quibus præmissis, Dicendum, hoc planè esse licitum. Quia in tali concomitantia nihil est quod fidei adversetur, aut in quo aliquis ritus hæreticus foveatur. Sic enim comitari aut deducere funus hæretici, solum est actus humanitatis vel cognationis, vel alterius similis obligationis, unde nihil est in hoc contra fidem. Sic tenent Navarrus lib. 2. Conf. 12. de Hæret. & Sanchez in summa lib. 2. cap. 9. n. 7. Azor. tomo 1. lib. 8. c. 11. q. 4 & Verricelli tract. 4. q. 94. dub. 2. & sequent.

Meritò tamen aliqui restringunt, dummodo non sepeliantur in loco sacro, sed tantum profano, quia sepulturâ sacrâ privantur hæretici notorii, licet etiam non sint denunciati, ac proinde comitari funus hæretici notorii in loco sacro, licet non inferret excommunicationem, esset tamen mortale peccatum.

Quod in missione nostra specialem habet

difficultatem, quia ibi passim tam Catholici, quam hæretici sepeliuntur in Ecclesiis, quæ olim erant Catholicorum ac proinde loca sacra, quæ non amiserunt consecrationem suam per hoc quod ibi hæretici sepeliantur, & semper sepulti sint, uti alibi dicitur, dummodo non sint nominatim denunciati.

Resp. autem ad hanc difficultatem, quod licet in veritate loca consecrata maneat semper Sacra, ita ut non indigeant denuò consecrari, sed tantum benedici aut reconciliari, si profanata sint, nihilominus illæ jam toties violatæ, non amplius fruuntur prioribus suis privilegiis, ac proinde licitè possit hæreticus in ipsis sepeliri. Imo dato quòd hoc non liceret, redundaret tantum in illos qui propriè sepeliunt, sive per mandatum, sive per executionem, non verò in concomitantes, qui tantum cooperantur ad pompam, non ad sepulturam.

## ARTICULUS XI.

*Vtrum Catholico liceat uti vestibus Hæreticorum aut Infidelium.*

**P**ostquam egimus de actionibus quæ aliquam professionem infidelitatis, aut negationem fidei involvunt; superest aliqua dicere de vestibus falsam religionem significantibus; sed

sed quia hæc materia sæpius locum habet in missione contra Gentiles & Mahumetanos, quàm in missione contra hæreticos de qua hic præcipuè agitur, ideo breviter nos ab hac difficultate expediemus.

Quatuor autem sunt vestium genera quibus fideles ab infidelibus discernuntur. Primum est quo hoc materialiter tantum fit, non verò formaliter, quia potius sunt vestes propria nationis, quàm religionis, licet per accidens omnes qui illius nationis sunt, aut serè omnes sunt infideles, ita ut si tota natio ad fidem converteretur, nihil propterea in vestibus immutarent. De quo genere vestium certum est, quòd fideles ibi habitantes, aut illac transeuntes, illis uti licitè possint, dummodo per hoc non intenderent pro infidelibus haberi, licet per accidens aliqui inde scandalizarentur, & deciperentur, & tale genus vestium est quo Turcæ passim utuntur.

2. Genus est quod ex institutione aut consuetudine est discretivum infidelium à fidelibus, videlicet quando per legem prohibitum est fidelibus illis uti, & mandatum infidelibus ut utantur, qualiter in aliquibus locis, ubi permittuntur Judæi, statutum est ut gerant pileos flavi coloris. Talibus vestibus licitum est fidelibus uti ex gravi aliquâ causâ, dummodo non currat pro illo tempore obligatio fidei in constendi. Uti enim quis potest simili veste, non pro signo falsæ Religionis, sed pro corporis



operimento, aut ornamento, qui est principalis finis usus vestium, ac proinde hoc non est simulare fidem, sed occultare. Sicut Religiosus aut Sacerdos, habitans in locis hæreticorum, aut illac transiens utitur laicali, non ut se simulet esse laicum seu secularem, alioquin mendacium esset; sed ut Religiosum statum occultet, permittendo interim ut aliqui in hoc decipiantur.

Dices: non est licitum uti verbis æquivocis in confessione fidei; licet enim verba illa multiplicem habeant sensum, cavendum est ne audientes illum intelligant, quo fides negaretur. Ergo similiter licet tales vestes multiplicem habeant usum, cavendum est ne videntes putent quod quis illis utatur pro signo infidelitatis.

Resp. in primis in hoc convenire verba æquivoca cum talibus vestibus, quod in neutro casu liceat intendere ut audientes vel videntes credant per illa signa tunc significari veræ fidei negationem. Disparitas autem est, quod alium modum significandi habeant verba, etiam æquivoca, quam vestes de quibus loquimur. Verba enim ex institutione suâ nullum alium habent usum quam explicare conceptus mentis: unde quando opus est fidem confiteri, verbis utendum est quibus audiens hoc intelligat, aut saltem non putet ipsum fidem negare, quod semper malum est, ut dictum est. Vestes autem habent alium diver-

siffi-

sissimum usum, quàm discernere fideles ab infidelibus, imo hîc est minus principalis, vestibus enim homines uti solent ad tegendum corpus aut ipsum ornandum.

Dixi autem, quod tantum illis uti liceat ex *gravi causâ*. Quia alioquin cavendum est ne aliqui inde scandalizentur scandalo pusillorum. Quod aliquando ex causa non est curandum.

3. Genus vestimenti est quod propriè est protestativum Religionis; quibus utuntur infideles Sacerdotes, non tantum ut dignoscantur à fidelibus, sed ad professionem sui cultûs.

Sunt qui putant licitum esse fideli, etiam illis uti ex gravi causâ, pro quâ sententiâ citatur Coninck de fide disp. 15. dub. 3. n. 66. Lugo disp. 14. sect. 5. Wiggers 2. 2. q. 3. a. 2. n. 56. Et saltem ut probabilem tenent Becanus cap. 9. q. 5. n. 28. Et bonac. in Decal. disp. 3. q. 2. p. 3. n. 27. Tandem etiam Verricelli tit. r. de fide q. 14. sect. 3.

Contrarium tamen est certò tenendum, scilicet, ex quâcumque etiam causâ, licitum esse fideli talibus vestibus uti. Et hoc est expressè definitum à S. Congr. S. Rom. Inquisitionis an 1630 Kalendis Augusti: Quod decretum videre non poterant citati Auctores, nisi fortè Card. Lugo qui ipsius nullam facit mentionem, Et Verricelli qui vidit & explicat ut infra dicetur. Verba autem Decreti sunt: *Sacra Congregatio censuit reverbos ad fidem ut à conscientia*

F 5

scienciã omnem habitum indistinctè deferre posse, nationis discretivum; dummodo non sit protestativus falsa Religionis, donec nanciscantur occasionem transfugiendi ad fideles. Nec proinde arcendos à susceptione Sacramentorum, si propositum habeant profitendi fidem, quando juridicè de illà interrogantur. Ex quibus verbis imprimis approbantur illa quæ diximus de 1 & 2. genere vestium. Et etiam de hoc 3. quia expressè dicitur: *Dummodo non sit protestativus falsa Religionis.*

Vericelli tamen dicit hoc tantum debere intelligi, si levis causa subsit, non autem si causa gravis sit. Sed hoc facile patebit falsum esse examinando verba dispositiva ipsius decreti, quæ sic se habent: *Circa habitum Apostatarum fuit quaesitum, an possent illum retinere ad vitandum vitæ periculum, donec nanciscantur idoneam occasionem transfugiendi ad terras Christianorum, si non sit protestativus Religionis, ejusmodi est vestis lineæ & talaris quâ soli Sacerdotes infideles utuntur; sed tantum discretivus nationis quale est operimentum capitis quod vulgò dicitur turbante.* Exprimit pro causa, vitæ periculum, & explicat quid intelligatur per vestem protestativam Religionis; & decernit quod non liceat istâ uti, ad vitandum vitæ periculum. Magis adhuc mirum est quod sint, qui sentiunt licitum esse usum quarti generis vestium, ex gravi causâ quod non est tantum falsæ Religionis protestativum, sed etiam

venc-

Venerationis & ipsius cultus falsæ sectæ. Pro quâ citantur Coninck ubi supra n. 72. Et Hurtado 2.2. disp. 48. §. 58.

Quæ sententia sufficenter improbat per præfatum decretum, quod indubiè magis militat contra hoc 4. quàm contra 3. genus, de qua statim locuti sumus. Et ulterius Probatione: Quia significatio illa abstrahi non potest ab illis vestibus, cum non tantum ad hoc institutæ sint, sed quasi ex se significativæ falsi cultûs, v g si in illis referantur imagines idolorum, character Mahumethi & similibus. Et idem dicendum de vestibus quibus in Synagogis suis Judæi utuntur.

Dices cum Hurtado: Quod licet vestes illæ habeant illam significationem, propter signa idolorum quæ impressa sunt; habent tamen etiam aliam, & insuper alium usum, quia multi nobiles illis utuntur in signum nobilitatis, & consequenter in ornamentum.

Resp Hoc omnino esse per accidens: sic enim Equites Christiani Ordinis Christi, aut S. Jacobi, & similibus Ordinum, gerunt crucem in habitu suo, quæ utrumque significat, videlicet nobilitatem & protestationem fidei Catholicæ, imo ideo ista sunt conjuncta ut nobilitas tali protestatione honoretur, tali autem habitu nemo uti audeat in Turcia, ubi signum S. Crucis detestantur. Sic etiam Thurificatio habet duplicem significationem, videlicet cultûs Religionis & expulsionis mali odoris, ne-

mo tamen admittet quòd quis thurificare posset ante idolum.

## ARTICULUS XII.

*An liceat accipere fictas litteras testimoniales de hæresi, ut quis tutius possit proficisci in partibus hæreticis.*

**H**anc difficultatem specialiter movere voluit ob ea quæ fieri vidi in Anglia, cum illac transirem tempore quo bellum erat inter Regem nostrum Catholicum, & Regem Franciæ, & Statum Hollandiæ Aliqui transituri in Hispanias & alias partes, timentes ab alterutra parte apprehendi in mari, testimonium petebant à Magistratu Doverensi quod essent subditi Regis Angliæ, qui cum utrisque pacem habebat: Magistratus autem exigebat professionem quod essent religionis cuius erat Rex Angliæ. Qui passim sine scrupulo hoc faciebant. Sed hic non urgeo an talis professio licet ficta, licita sit, de hoc enim supra actum est: sed tantum utrùm etiam sine tali professione accipere possent testimonium, quòd sint alterius religionis, ut sic liberius proficisci possint in partibus hæreticorum, & ab ipsis protegì?

Similis casus olim versabatur circa Libellaticos de quibus tractat Baron. ad an. 253. n. 24. Mal-

Malderus autem 2. 2. q. 3. a. 2. memb. 2. & Coninck disp. 15. n. 118 referunt fuisse tria libellaticorum genera. Aliqui fidem negabant, quam tamen interius retinebant, & titulo talis negationis accipiebant libellum securitatis, de quibus agit S. Cyprian. Epist. 68. & tales erant de quibus dixi in principio.

Alii autem (ut refert Plinius lib. 10. epist. 97. & notat Baron. ubi sup. n. 23) offerebant Magistratui libellum abnegatæ fidei. Alii tandem qui propriè libellatici dicebantur, non negabant fidem, imò illam palàm & apertè profitebantur coram Magistratu, & tantum datâ pecunia accipiebant oblatum securitatis libellum, quo non cogebantur sacrificare quasi fidem negassent. De quibus agens S. Cyprian. Epist. 52. introducit libellaticum sic loquentem: *Ego prius legeram, & Episcopo tractante cognoveram, non sacrificandum idolis, nec simulacra servum Dei adorare debere, & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat (cùm occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem nisi ostensa fuisset occasio) ad Magistratum veni, vel alio eunte mandavi, Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras Diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam. Et sic datis pecuniis quibus Magistratus inhilabat, libellum securitatis accipiebat S. autem Cyprianus ad præmissa subdit: Nunc tamen etiam iste qui libello maculatus est, posteaquam nobis admonentibus didicit,*

*nec hoc se facere debuisse; etsi manus pura sit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen ejus esse pollutam.*

Cum igitur grave crimen sit etiam sine negatione fidei tales libellos aut testimonia accipere, multo gravius est illud procurare, etiam cum sola simulatione falsæ religionis.

Baronius quidem dum refert, ubi supra, libellaticos fuisse ab Ecclesia condemnatos, hoc non putat de ipsis intelligi qui pecuniâ redimebant, ne deberent idolis sacrificare, quia injustam vexam redimere nullam continet malitiam. Sed hoc quidem verum esset quando non occurreret obligatio professionis fidei, et si merè sistatur sine ulteriori actu, sed libellum accipere pro tali exemptione, & illum ostendere, vix fieri poterat sine virtuali negatione fidei. Sed de his videantur Annales Ecclesiastici. Pro satisfactione propositæ difficultatis illa quæ sunt dicta, sufficiunt.

### ARTICULUS XIII.

*Utrum ad occultandam fidem liceat  
omittere præcepta Ecclesia in  
vitæ periculo.*

**Q**uæstio hæc ex duplici capite moveri potest, 1. An præcepta Ecclesiæ obligent cum

cum periculo vitæ, infamiæ, aut notabilis jacturæ bonorum temporalium. 2. An censeatur virtualiter fidem negare qui facit contra præcepta Ecclesiæ, ut hoc modo fidem dissimulet aut occultet. Agemus hic præcipuè de primo capite.

Citari solet Cajet. 1. 2. q. 96. a. 4. Quasi teneat, quod in quocumque calu præcepta Ecclesiæ, etiam cum periculo vitæ, obligent. Tamen hoc ibi non habet, sed tantum quod Ecclesia hanc potestatem habeat, quando ita esset necessarium ad bonum commune Ecclesiæ, cujus cum quilibet homo Christianus sit pars, & Ecclesia habeat potestatem super id quod est quilibet homo, & per hoc super vitam cujusq; ordinando illam ad commune bonum. Et de hoc agebat S. Th. illo art. quem commentatur, ubi inquit utrum lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientiæ. Relicto ergo Caietano tamquam injustè in hoc culpato.

Arguitur pro parte affirmativa: Quia Ecclesia prohibet inire matrimoniū cum consanguineâ usque ad quartum gradum, quæ prohibitio obligat etiam cum periculo vitæ, ita ut nemo possit intra illos gradus matrimonium inire, etiam si alioquin mori deberet, & sic de aliis impedimentis dirimentibus introductis ab Ecclesiâ.

2. Quia ex solo præcepto Ecclesiæ obligantur Sacerdotes etiam cum dispendio vitæ in sa-

sacrificio Missæ uti vestibus sacris & Calice consecrato. Et sic etiam mandari potest Episcopis & Pastoribus ne tempore persecutionis, aut pestis oves suas deserant. Ergo videtur bene sequi quod fideles non possint omittere præcepta Ecclesiæ ut fidem suam occultent, quam aliter occultare sine crimine possent.

Dicendum igitur. 1. Lex Ecclesiæ ordinariè non obligat subditos cum periculo vitæ, famæ, aut notabilis facturæ bonorum temporalium.

Prob. 1. Ex Regulâ 6 juris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari.* Quod autem valde est difficile, moraliter est impossibile.

2. Lex divina in præceptis ceremonialibus non obligabat olim cum tanto rigore ut patet Matth 12. v. 2. & 3. cum Pharisei Christum reprehenderent, quòd discipuli ipsius esurientes vellent spicas in Sabbatho. *Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbathis*, objectit & confutavit illos exemplo Davidis 1. Reg. 21. v. 4. *Non legis quid fecerit David quando esuriit, & qui cum eo erant? quemodo intravit in domum Dei & panes propositionis comedit quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus.* Eadem ratione S. Th. 1. 2. q. 100. a. 8. 4. excusat Machabæos qui in Sabatho inierunt prælium, ut habetur 1 Machab. 2. v. 41. *Non, inquit, intelligitur violare Sabbathum qui facit opus quod est necessarium.*

3. Etiam

3. Etiam lex naturæ in aliquibus non tam severè obligat, v.g. lex de non occidendo non obligat cum periculo vitæ, tunc enim si invadatur est licitum pro defensione vitæ propriæ in vasorem occidere. Multò igitur minus obligabit præceptum Ecclesiæ quæ est benigna mater & non noverca.

Dicendum 2. in multis casibus lex Ecclesiastica obligat cum periculo vitæ, famæ & bonorum temporalium.

Probatur: Hoc enim sæpè conducit ad bonum commune Ecclesiæ quod lex Ecclesiastica respicit; ex quo desumi debet legis iustitia, quod patet in multis exemplis, videlicet, ne Parochus oves deserat tempore pestis, & sic potest Rex vel Respublica præcipere militi ne stationem suam deserat, etiam cum vitæ discrimine. Et summus Pontifex potest mandare Sacerdotibus, ut cum eodem periculo Paganis aut hæreticis fidem prædicent.

Quando autem talis sit obligatio, & quando non sit, hæc potest dari Regula: Quodcumque ex præcepti observatione majus commodum expectari potest pro gloriâ Dei, fide Catholica aut bono Ecclesiæ, aut ex omissione talis præcepti majus incommodum timetur quam æstimari possit vita hominis privati, fama, aut bona temporalia, tunc lex Ecclesiæ obligat cum tali periculo. V.g. quando aliquis cogeretur transgredi Præceptum Ecclesiæ, in contemptum ipsius aut fidei, aut cum aliorum

scian-

scandalo qui per hoc facile perverterentur, & in similibus casibus. Il lâ ratione Eleazarus, ut habetur 2. Machab. 6. vers. 17. noluit etiam fingere se comedere carnes suillas ut mortem evaderet. Et S. Augustin. lib. de bono conjug. cap. 16. *satius, inquit, est fame mori, quam idolothytis vesci*, puta cum scandalo vel Religionis contemptu, sicut insinuat Apstol 1. Corinth. 10. vers. 28. Ex quo principio plurima dubia infra solventur.

Ad primum pro contraria parte. Resp. Quod matrimonium cum consanguineis usque ad quartum gradum, non solum sit ab Ecclesia prohibitum, sed irritatum per inhabilitatem illarum personarum ad sic contrahendum; ac proinde non esset matrimonialis contractus, sed fornicarius sive incestuosus.

Ad secundum Resp. Si Sacerdos cum periculo & comminatione mortis cogeretur celebrare sine sacris vestibus, & calice consecrato, & idem est de ara consecrata, in contemptum fidei aut illius tremendi sacrificii (quod vix aliter fieri contingeret) deberet potius mortem oppetere, uti infra dicitur Si verò abesset omnis talis contemptus, non esset improbable quòd sic celebrare posset ad evadendum mortis periculum. Ita tenet Medina q. 96. a. 4. Coninck dis. 13 dub 12. n. 103. Suarez disp. 6. de Cens. sect. 3. n. 4 & Layman lib 1. tract. 4. cap. 14. n. 9.

Ex quibus omnibus potest colligi, quàm malè

malè faciant tepidi Catholici, qui tam facilè etiam propter parvum damnum suum quod timent, aut emolumentum quod sperant, aut parvam derisionem quam apprehendunt, præcepta Ecclesiæ negligunt: maximè cum videant ipsos hæreticos tam observantes esse in suis statutis & præceptis, v.g. in frequentatione concionum & suis diebus in sumptione cœnæ Calvinisticæ, & sic in aliis. Memini me aliquando audivisse quòd cum quædam persona Ecclesiastica esset in navi cum hæreticis, & die vetito apponerentur carnes, & illas sine scrupulo comederet, ut se ipsis conformaret, hæreticis toto itinere fuerit ludibrio, cum maximo aliorum Catholicorum scandalo, & hæreticorum gloriâ.

## ARTICULUS XIV.

*An diebus prohibitis ab Ecclesiâ liceat vesci  
carnibus apud hæreticos.*

**H**Oc dubium ex parte resolutum est arr. præcedenti, sed hic idem potissimum moverur, an sit hoc licitum ad occultandam fidem, v.g. si quis transeat per loca hæreticis subjecta, tempore quadragesimæ, quem ex abstinentia à carnibus cognoscent esse Catholicum; an possit carnibus vesci, præcipuè in parti-

partibus, ubi est magna persecutio, & Catholici dum cognoscuntur, conjiciuntur in carcerem, aut graviter mulctantur, aut mittuntur in exilium, imo aliquando etiam occiduntur; uti sæpè factum fuit in Anglia.

Dicendum id licitum esse dummodo absit scandalum. nec currat obligatio professionis fidei

Prob. ex dictis: Quia illa abstinentia tantum cadit sub præcepto Ecclesiæ, quod regulariter non obligat cum tanto periculo, & in casu moralis impossibilitatis. Et sic non peccabitur contra præceptum Ecclesiæ, cujus proinde non fit per talem carnis comestionem transgressio. Nec dici potest, quod sit contra præceptum divinum de non neganda fide; Quia supponimus quod fiat in casu in quo professio fidei non est necessaria, nec comestio carnis ex se, est internotio Catholicorum ab hæreticis, alioquin talis comestio semper (licet fieret ex sola gulositate) esset contra præceptum divinum, tamquam fidei abnegatio & infidelitatis professio. Nec refert quod hæretici hoc videntes inde colligant quinam sint Catholici, parum enim facit quod inde decipiantur; talis enim deceptio, ut supra diximus, permitti potest dummodo absit scandalum, & veræ fidei contemptus

Dixi dummodo absit scandalum & fidei contemptus, fieri enim potest quod tales sint circumstantiæ personarum, temporis, loci, aut

aut verborum, ut talis comestio censetur esse aut veræ fidei negatio, aut falsæ fidei professio; tunc enim dicendum est id quod supra de necessitate professionis fidei, & non negatione ipsius dictum fuit, quod tunc nullum quantumvis grave vitæ periculum excuset. Exemplum sit, si in aliquo consortio ubi plurimi præsentis sunt convivæ Catholicis intermixti hæreticis publicè ab his proponatur: *Quicumque presentium est de religione (sic enim se vocant Calvinistæ) inimicus Papæ, & Romana Ecclesiæ, hic nobiscum carnes comedat.* Non erit in talibus circumstantiis licitum carnes comedere, licet inde timeatur persecutio, infamia, bonorum jactura aut etiam ipsa mors. Nisi quis protestetur se esse Catholicum, & se carnes comedere aut ob infirmitatem, aut alias rationes.

Idem dicendum est: Si Tyrannus in odium fidei homini sano mandet carnes comedere tempore interdicto, qualis fuit casus Eleazari cujus supra meminimus, mandante Antiocho ut omnes vescerentur carnibus porcinis, quibus vesci erat Judæis prohibitum; licet enim milites ob viri venerationem alias carnes non prohibitas potrigerent, ut tantum simulando videretur Regis mandato satisfecisse; nullâ ratione voluit acquiescere propter scandalum ut haberetur 2. Machab. 6. v. 24. *Non enim inquit, ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitantes Eleazarum nonaginta*

annorum, transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiuntur, &c. Et similiter loquebatur Apostolus 1. Cor. 8. v. 13. Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Loquebatur autem de carne quam alioquin licitè comedere poterat. Uti ad illum locum notat S. Thomas. Quod etiam verum est, licet Tyrannus omnem alium cibum prohibeat & impediatur ne possit haberi, & sic aut fame pereundum erit, aut carnes comedendæ. Si enim hoc faciat, ut dictum est, in odium fidei, potius fame moriendum erit, quàm carnes comedendæ, idem quippe est an gladio, an fame pereundum sit quando agitur de honore Dei & fidei

Uterius inquiritur quæ causa requiratur ut semoto scandalo & aliis circumstantiis de quibus egimus, liceat vesci carnibus tempore vitæ, solum ut fidem suam occultet.

Hurtado 2. 2. disp. 48. §. 99. ut refert Verricelli q. 15. n. 7. requirit extremum vitæ periculum: sed meritò hoc ab aliis damnatur nimii rigoris; omnes tamen requirunt pro causa gravius damnum, quàm aliàs requiratur, ut communiter præcepta Ecclesiæ obligent, v.g. periculum carceris, tormentorum, & valde gravis detrimenti, bonorum temporalium. Minus enim damnum requiratur ad omittendum Sacrum in die festo, vel ad esum car-

carnium ob infirmitatem inter Catholicos, quàm si sis inter hæreticos, quia in his circumstantiis est saltem aliquod (licet non omnino determinatum) signum falsæ religionis. Ac proinde propter fidem & religionis observantiam, quæ ab omni specie mali nos cogit abstinere, tantò gravior causa requiritur, quantò signum illud minus habet indifferentiæ. Imo nec eadem causa sufficit, quæ sufficiens est ad fidem occultandam; eò quòd occultatio fidei fieri possit absque ullo actu positivo, esus autem carnium quando prohibitus est, & nulla apparet urgens infirmitas, præbet in illis circumstantiis positivum fundamentum dubitandi, an qui sic comedit sit hæreticus.

Alium casum ponit Lessius in opere Posthumo tit. *Hæretic. cum Cathol.* si Magistratus aut Princeps hæreticus in contemptum Ecclesiæ, vel ad cognoscendos Catholicos, præcipere omnibus sibi subjectis, ut omnibus diebus ab Ecclesia vetitis carnibus vescerentur sub gravissima pœna, sicut aliquando factum fuit in Anglia. Resolvit autem quod tunc liceret, secus tamen si hoc in particulari alicui juberetur in odium fidei, Quam tamen resolutionem non approbo; nihil enim refert utrum lex illa feratur in communi, an verò fiat particulari personæ, dummodo feratur in contemptum Ecclesiæ aut fidei Catholicæ: servando enim illam legem, etiam omnibus in communi datam.

datam, obeditur secundum modum & intentionem quæ in lege exprimitur aut intenditur. Admitti tamen possit quando tantum fit ut Catholici cognoscantur, quia tunc actio illa ex se indifferens non censeretur fieri in contemptum fidei. Et idem dicendum si tantum prohiberetur vendi omnis alius cibus, quod bene ostendit Verricelli q. 16. n. 7. de Idolothytis.

## ARTICULUS XV.

*An famulus in gratiam Domini sui possit vesci carnibus diebus vetitis.*

**H**oc dubium movet Verricelli q. 15. n. 12. de Captivis Christianis apud Turcas, an teneantur ad jejunia & abstinentiam à carnibus, ne Dominorum suorum odium incurrant. Et bene respondet, quod teneantur, si illud odium quod timent sit in contemptum fidei, eo quod Dominis displiceat observari à servis Christi præcepta ipsius aut Ecclesiæ: quod sequitur ex sæpe ante dictis, præcipue art. præcedenti Aliud tamen esset si odium illud solum sit propter incommodum, quia Dominis onerosum est dare servis cibos quadragesimales, & inde tantum timetur gravis vexatio à Dominis. Et idem dici debet de famulis

mulis liberis inservientibus hæreticis: Qui tamen occasione debent quærere mutandi Dominos, qui ipsis permittant observantiam Religionis suæ Catholicæ, & præceptorum Ecclesiæ. Quod etiam dicendum de auditione Sacri diebus festivis.

## ARTICULUS XVI.

*An liceat apponere carnes hæreticis diebus abstinentiæ.*

**H**unc casum proponit Lessius ubi sup. casu. 13. inquirens utrum hoc facere possit famulus pro Domino suo hæretico. Et resolvit affirmativè: dummodo Dominus non ostendat se petere carnes in contemptum Ecclesiæ, & sine gravi damno non possit hoc negare: sic enim appositio carniarum quæ præcipitur famulo, non est illa quam forte Dominus internè intendit, sed mera manducatio aut sensualitas, quam non tenetur famulus cum gravi suo damno impedire. Unde sequitur quòd hoc nullatenus liceat, si Dominus aliquo signo ostendat suam pravam intentionem, scilicet odium fidei.

Et idem dicendum de caupona habitante in locis hæreticorum; non autem de illo qui habitat in partibus Catholicis, ibi enim non

potest carnes etiam hæreticis apponere, quâcumque intentione petant, nisi causa infirmitatis, quæ etiam Catholicos eximeret. Ita Layman lib. 2. tract. 3. capite 13. n. 4.

## ARTICULUS XVII.

*An liceat Catholicis in locis hæreticorum aperire officinas diebus festis Ecclesiæ.*

**D**E diebus dominicis nulla est difficultas, quia hæretici illas exactissime observant. Sed quoad dies festos, Respondetur: si Catholicus officinam aperiat propter uniformitatem eum aliis civibus, aut ne merces necessaria defint, hoc est licitum; maximè cum non sit intentio Ecclesiæ ut fideles sui in illis partibus hoc præceptum observent, ubi hoc moraliter loquendo est impossibile; quod etiam plusurbationis causaret, quàm utilitatis pro Ecclesiâ. Si tamen in aliquâ civitate Catholici passim hoc introduxerint, quòd officinas claudant diebus festis: Alii qui sunt in minori numero, se debent illis conformare: per hoc enim observantia hujus præcepti redditur possibilis moraliter: ac proinde aliter faciens peccabit. Si tamen Princeps seu Magistratus hæreticus hoc fieri præcipiat in odium fidei & contemp-  
tum

tum Ecclesiæ, videlicet ut abroget superstitionem Papiisticam ( ut ipsi loquuntur ) & talentam suam pravam intentionem signo externo prodatur, tunc id nullatenus erit licitum. Ita etiam resolvit Less. in opere posthumo v. festa Ecclesiæ casu 8.

Et idem dicendum est de claudendis officinis diebus dicatis orationibus apud Hæreticos, uti etiam habet Less. casu 9. Illa enim in illis partibus nullatenus sunt signa professionis falsæ Religionis, ac proinde ob causas fieri possunt sine transgressione præcepti Ecclesiæ, & sine ullâ coöperatione rituum hæreticorum qui essent signa suæ Religionis.

## ARTICULUS XVIII.

*An sit licitum Catholicis opera servilia exercere illis diebus in illis locis.*

**P**ER se loquendo id est illicitum, præcepta enim Ecclesiæ semper obligant, nisi aliqua gravis necessitas excuset, sive paupertatis, sive notabilis damni aut periculi; ubi autem illa interveniunt, non facit contra piam intentionem Ecclesiæ, qui tunc præcepta ipsius non observat. In illis igitur locis hæreticorum ubi sine ulla persecutione Catholici permittuntur, non licebit ( nisi aliqua alia causa inter-



interveniat) exercere illa opera quæ illis diebus interduntur. Operarii tamen qui externa aliqua opera, v. g. ædificii acceptantur, si per hoc quod illis diebus nollent illa proficere aut perficere, notabile damnum paterentur, v. g. quod non amplius ab hæreticis impenderentur, excusarentur. Similiter quoad causas judiciales licebit in illis locis illas proficere, ut se aliis conforment, ne clientes per hoc patiantur damnum, quod inde sequeretur, dum pars adversa litigans rem proficere, & Judex tunc causis audiendis vacat. Tum etiam quia hoc conducit ad bonum commune. Tamen ab illis quæ domi facere solent, unde nullum damnum natum est sequi, debent abstinere.

## ARTICULUS XIX.

*Virum liceat diebus festivis operarios hæreticos impendere.*

**S**uppono hæreticos non minus obligari præceptis Ecclesiæ (cui etiam subiciuntur) quam Catholicos, dummodo ipsis sufficienter proponantur (ignorantia enim invincibilis à præceptis humanis excusat) non est autem æquum ut ipsorum malitia ab obedientia Ecclesiæ eos eximat, ut bene notat Lessius, ubi sup. fit. festa Ecclesiæ casu 5. Unde sequitur quod Catho-

Catholici hæreticos operarios diebus interduntis non possint impendere ad opera servilia, nisi talis necessitas sit quæ etiam Catholicos operarios in similibus circumstantiis excuset. Hoc autem sic intelligitur, nisi aliquod opus sit operariis hæreticis elocatum, quod differri non possit, tunc enim erit licitum permittere ut operentur, usque ad operis consummationem; maxime si opera talia sint quæ bono publico sunt necessaria, quæ ratione solet etiam in locis Catholicorum dispensari. Nec obstat quod hæretici operarii equidem illis diebus alibi essent operaturi, hoc enim (si consecuti sint præcepti) facere non possunt sine peccato; non est autem licitum Catholicis hoc hæreticis permittere quod ipsi sine peccato facere non possunt. Sic etiam Lessius ubi supra casu sexto.

## ARTICULUS XX.

*Qua obligatio sit audiendi Sacrum in locis missionis.*

**R**esp. Quod si nulla aut non gravis sit persecutio, præceptum audiendi Sacrum diebus festivis, non minus ibi obliget, quam in aliis locis Catholico regimini subjectis. Imo in hoc debent Catholici maxime ostendere zelum suum,



suum, ut ubi heretici tot blasphemii Sacrosanctum illud Sacrificium abominantur, tanto magis satagant ipsum venerari, & non tantum ratione præcepti, sed ex fervore religionis, tanti sacrificii per præsentiam suam conentur esse participes. Nihilominus, quando tanta est persecutio ut id fieri non possit, nisi cum evidenti periculo, sub gravi multa, aut exilio si deprehendantur, ab illa obligatione plerumque excusantur. Ubi autem multa illæ tantum exiguntur à communitate, quando in actuali exercitio à Prætoribus turbantur; & soli divites pro illis multis solent respondere, qui in hoc debent zelum suum ostendere; nemo excusatur: pauperes enim per hoc nullum incurrunts periculum.

Excusari tamen poterunt ratione longæ distantie, aut temporis incommodi, quando exercitia illa solent fieri (summo mane: nihilominus minus debent illam excusationem admittere in illis partibus, ubi debent omnes pro religione Catholica certare, & raritatem Sacrificiorum suâ diligentia compensare. Et verè ita fit ad confusionem Catholicorum in partibus ubi non viget Hæresis commorantium, ubi quotidie & quâlibet horâ, imo serè momento sacrificia publicè celebrantur, & tamen negligunt. Qui & in hoc magis confunduntur quod tanta sit in locis missionis reverentia & devotio tempore Missæ, ut ne quidem retrò respicere, multò minus colloqui aut

fabu-

DE FIDE EXTERNA. 145  
fabulari audeant: nec hoc fieret sine scandalo.

## ARTICULUS XXI.

*Vtrum liceat Catholicis uti stylo antiquo ut se conforment hæreticis.*

**L**essus ubi suprâ tit. *feſta Eccleſiæ* caſu 7. Reſponder: ubi Kalendarium Romanum Gregorii XIII. eſt receptum, & lapſu annorum comprobatum, non licere ſequi ſtylum antiquum, quia hæretici non poſſunt legem Eccleſiæ, maximè dum uſu recepta eſt, abrogare. Et concludit quod ceſſante gravi periculo teneantur Catholici ſua feſta celebrare ſecundùm ſtylum novum.

Nihilominus Reſpondeo modò conformare ſe poſſe ſtylo antiquo dum habitant in locis hæreticorum, ubi iſte ſtylus jam obſervatur. Quod omnino conveniens eſt ob plurimas rationes, & præcipuè propter communia commercia, & ad vitandam confuſionem quæ ex illâ diſſormitate oriretur in eadem civitate; nec hoc cenſetur eſſe contra mentem Eccleſiæ, ob longam conſuetudinem cui hætenus non contradixit.



## TRACTATUS IV.

De hereticis.

## ARTICULUS I.

*Quid sit heresis, & quis formaliter sit hereticus.*

**S**I inspiciamus æthimologiam nominis, hæresis Græcè significat Electionem: & licet apud veteres tam Græcos quàm Latinos generaliter significaret quamcumque sectam, v.g. Platonicam, Stoicam, Peripatheticam &c. Christianitatem scriptores in sensu contractioni, hæresim nuncupant sectam, seu divisionem quâ quis à communi Ecclesiæ fide se sejungit, privatamque opinionem eligens à Catholicâ institutione discedit. Et hoc conforme est Iuri Canonico q. *heresis* 3. c. 24. ubi dicitur: *Heresis græcè ab electione dicitur, quâ scilicet sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.* Quem locum citat, & sequitur S. Thomas in 1. Cor. 11. lect. 4. ad illa verba. *Operiet hæreses esse. Ex quo, inquit, duo accipi possunt: Primum quidem, quoddè de ratione heresis est, quoddè aliquis privatam disciplinam sequatur*  
quasi

quasi per electionem propriam, non autem disciplinam publicam, quæ divinitus traditur. 2. Quod huic discipline, aliquis pertinaciter inhereat, nam electio firmâ importat inhesionem. Unde alii dicunt hæresim dictam ab hærendo in propriâ opinione; conformiter autem ad hanc æthimologiam & doctrinam tam SS. Patrum quàm Angelici nostri Magistri colligi potest hæc definitio: *Error intellectus voluntarius, cum pertinacia, contra aliquam veritatem fidei Catholica prius susceptam.* Quæ definitio sic breviter explicatur: *Error intellectus.* Quia sicut assensus fidei in intellectu consummatur, sic etiam assensus contrarius fidei in intellectu completur. Certum etiam est quodd error sit actus intellectus *Voluntarius.* Sicut enim assensus fidei requirit primam affectionem voluntatis, ita hæresis relationem voluntatis *Cum pertinaciâ.* Quia hereticus non est, qui pertinaciter non tenet aliquid contra fidem. De quo postea, *Contra aliquam veritatem fidei Catholica.* Error enim circa alia non est hæresis. Dicitur autem *contra aliquam,* ut distingatur ab Apostasiâ quæ totaliter à fide recedit. *Prius suscepta.* Ut distinguatur ab aliis speciebus infidelitatis, videlicet Paganismo & Judaismo. Disputant aliqui qualis susceptio fidei sit necessaria. Ban. 2. 2. q. 11. a. 2. Alphonsus à Castro & alij tenent non requiri Baptismi Sacramentum, sed sufficere susceptionem internæ fidei Christianæ, ac

proinde Cathecumenos ante baptismum susceptum fieri hæreticos si deficient Verius tamen Cajet. 2. 2. q. 11. a. 1. Et Sanchez lib. 2. sum. cap. 7. n. 34. Tolerus lib. 4. c. 3. tenent requiri Sacramentum Baptismi, & sic Cathecumeni deficientes erunt infideles, infidelitate reductivâ tantum ad hæresim. Quidquid tamen sit, omnes tenent illos tantum puniri posse ab Ecclesiâ, qui per Sacramentum Baptismi fidem susceperunt.

Movent autem aliqui difficultatem quoad pertinaciam, quia inde sequi videretur quod nunquam detur propositio hæretica, nisi ab aliquo hæretico cum pertinaciâ asseratur. Imo sequeretur quòd eadem propositio simul erit hæretica, & non hæretica; hæretica quidem in ore hominis intelligentis & pertinacis, non hæretica in ore hominis idiotæ, in quo non est pertinacia.

Tandem etiam quia veritas fidei non dependet ab asserente: sive enim proferatur à Judæo, sive à Pagano, sive à Christiano v.g. quod Deus sit trinus & unus, erit veritas fidei, ergo à sensu contrario error hæreticus non dependet ab asserente, sive cum pertinaciâ, si-  
ye sine illâ.

Distinguendum ergo est: in propositionem hæreticam formaliter, quæ non invenitur sine pertinaciâ; & materialiter hæreticam quæ non includit pertinaciam. Eo modo quo distingui solent alia peccata, ut patet in fornicatione quæ

quæ formaliter talis est, quando quis accedit scienter ad non suam. Materialiter verò si accedit ignoranter, saltem ignorantia invincibili; sic Jacob non formaliter, sed materialiter tantum fornicatus est accedendo ad Liam, quam putabat esse Rachelem. Propositio ergo quæ est erronea in fide si proferatur cum pertinaciâ, erit formaliter hæretica, & illam sic tenens formaliter hæreticus. Pro-lata autem sine pertinaciâ tantum materialiter est hæretica, quia habet quidem in se omnia requisita ad hæresim, sed deest ipsi aliqua forma extrinseca, scilicet pertinacia, sine quâ hæresis formalis non constituitur. Per quam distinctionem facillè respondetur ad objecta.

## ARTICULUS II.

*Quam pertinacia requiritur ut aliquis sit formaliter hæreticus.*

**I**N primis est certum, quòd pertinacia ad hæresim requisita non consistat in diurnitate temporis. Sicut enim fidelis in unico instanti elicere potest actum fidei, ita & hæreticus in unico instanti actum hæresis seu infidelitatis. Licet Sylvester v. hæresis q. 1. n. 5. ex Archidiacono videatur tenere contrarium, hoc fundamento: quod ille tantum censetur per-



tinax esse qui aliquando admonitus non vult respicere, juxta illud Apostoli ad Titum 3. v. 10. *Hereticum hominem post unam & secundam correptionem devota.* Hoc autem diurnitatem temporis requirit. Intelligendum tamen est Sylvester secundum presumptionem externam, seu in foro exteriori in ordine ad pœnas.

2. Pertinacia hæc non sumitur perobduratione seu obstinatione prout opponitur infirmitati seu fragilitati. Sive enim ex infirmitate, sive ex passione oriatur contradictio contra auctoritatem Ecclesiæ, sufficiens est ad hæresim, nec etiam requiritur quod sit inflexibilis.

Tertio non requiritur ut quis contradicat doctrinæ quam credit esse veram, sic enim non daretur hæresis interna, impossibile est enim quod quis internè contradicat contra id quod sentit, sic enim idem sentiret simul, & non sentiret. Sic etiam non est necesse ut disensus præbeat doctrinæ, quam putat esse de fide; hoc enim dementiæ esset.

Tandem etiam ad hanc pertinaciam non requiritur ut quis directè velit se auctoritati Ecclesiæ opponere, sicut ad formalem inobedientiam requiritur, intentio contraveniendi præcepto superioris. E contra verò ab hac pertinacia non excusatur, qui sentiens contra Ecclesiæ dicit se paratum corrigere, dummodo argumentis convincatur; cum hoc enim stat quod resistat auctoritate Ecclesiæ, cum non fidei

fidei & testimonio Ecclesiæ, sed solis argumentis se velit submittere. Uti etiam si quis paratus sit viro docto asserenti credere, non verò Ecclesiæ proponenti.

His præsuppositis, duo requiruntur ad pertinaciam inventam in formali hæresi. Unum ex parte intellectus, alterum ex parte voluntatis. Quod Cajet. 2. 2. q. 11. a. 2. & Cano de locis lib. 12. c. 9. §. *Ratio igitur*, secutus Cajet. sic demonstrat. Fides enim consistens in assensu intellectus, perficitur ex consensione voluntatis, in eo qui rem quam credit cognoscit esse Catholicam veritatem. Ergo etiam, infidelitas dissensu intellectus perficitur ex consensione voluntatis in eo qui rem cui assentitur, cognoscit esse contra Ecclesiæ communè fidem; Contrariorum enim eadem est ratio. Consistit ergo pertinacia inventa in hæresi formali, in voluntate resistendi doctrinæ, quam novit esse Ecclesiæ Catholicæ. Quod confirmat Canus auctoritate S. Augustini tom. 7. lib. 4. de Bapt. contra Donatist. cap. 16. ubi sic inquit: *Constituamus aliquem id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse Catholicam fidem, istum nondum hereticum dico, nisi manifestè sibi doctrinam Catholicam fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.* Præterea qui sic tenet errorem fidei contrarium, ut non sit paratus ab Ecclesiâ corrigi, sine dubio est hæreticus ut August. ad Glorium & Eleusium

affirmat. Et habetur c. *Dixit Apostolus*. Sed qui videt suam opinionem adversam esse Catholicæ fidei, & adhuc in ea permanet, hic non est paratus ab Ecclesiâ corrigi, cujus auctoritatem rejicit & contemnit, ac proinde verè est hæreticus. Pertinacia igitur quæ hæreticum facit, semper solumque invenitur in eo qui dogma aliquod tenere pergit, cui cognoscit Catholicam sententiam adversari.

Ex quibus inferitur 1. illum non habere pertinaciam hæreticam, qui assentiri non vult propositioni incertæ, licet plerique viri docti existiment esse de fide, quamvis per hoc peccare poterit contemnendo auctoritatem talium virorum.

2. Illum qui ignorat propositionem aliquam pertinere ad fidem Ecclesiæ Catholicæ, licet hoc asseratur ab Episcopo, Pastoribus aut viris doctis ac piis, non esse formaliter hæreticum si non assenserit, quia ejus pertinacia non pugnat cum veritate fidei Ecclesiæ Catholicæ, sed cum eorum sententiâ qui falli possunt & fallere: temerarium tamen esse & habendum de fide suspectum.

ARTI.

## ARTICULUS III.

*Quanam ignorantia excuset à formali hæresi.*

**P**rimò distinguendum est inter ignorantiam Concomitantem & Antecedentem. Concomitans est quæ simul est cum peccato, vel alio actu voluntatis; non est tamen causa ipsius: consistit autem in hoc, quod licet sic operans sciat hoc quod agit peccatum esse, ita affectus est, quod equidem illud faceret: talis ignorantia circa ea quæ sunt fidei, non excusat ab hæresi; quia taliter dispositus est, quod licet sciret Ecclesiam aliter docere, nollet mutare sententiam suam quam elegit. Et hoc verum est tamen ignorantia ista esset invincibilis, non enim ex illa ignorantia operatur, sed cum illa; ita enim constitutus est quod nollet se auctoritati, seu testimonio Ecclesiæ Catholicæ submittere.

Alia est ignorantia antecedens quæ est causa operis; quia sine illa non faceret, quod sic ignorans facit: v.g. si sciret Ecclesiam aliter tenere quam ipse credit, se illi conformaret. Et hæc ignorantia si sit invincibilis seu involuntaria, excusat à formali hæresi. Sic docet expresse S. Th. super Ep. ad Titum. 3. lect. 2. *Eligens, inquit, si non est pernix, sed est paratus corrigi*

secun-

*Secundum Ecclesie determinationem, & sic non ex malitia, sed ex ignorantia, non est hæreticus. Difficultas ergo potissima est de hac ignorantia antecedenti si sit vincibilis; & non quomodo-cumq; sed crassa & affectata, Crassa autem ignorantia est quæ facillè sine magna inquisitione vinci potest. Affectata autem quæ expressè intenditur, vel quia piget laboris discendi, vel ut tantò liberius possit operari qui illâ laborat.*

Prima Sententia est quod neutra ab hæresi foris ali excuset. Quam tenet Soto 4. dist. 22. q. 2. a. 3. §. *Primus casus*, ubi per transennam tantum loquitur de ignorantia crassâ, sed non probat. Citatur etiam S. Bonav. 4. dist. 13. dub. 4. Lopez in instruc. pag. 2. c. 20. tit. de excom. reserv. Et Valentia 2. 2. disp. 1. q. 11. p. 1. diffic. 4.

Quæ sententia Probari potest 1. ex S. Th. 1. Corint. 11. lect. 4. ubi agens de hæresi dicit: *Non possunt autem à tali errore propter simplicitatem aliquam excusari, præcipuè quantum ad ea de quibus Ecclesia solemnizat, & que communiter versantur in ore fidelium, sicut mysterium Trinitatis, Nativitatis Christi, & alia huiusmodi.* Et quod l. 3. art. 10. in corp. *In his verò quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato fuissent qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii, & aliorum hæresiarcharum,*

*nsa*

*nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur. Quod ad minus intelligi debet de ignorantia crassa & affectata.*

2. Prob. Ratione: Error ille contra fidem, licet procedat ex ignorantia; grave peccatum est, à quo numquam excusat ignorantia affectata, quin potius auget peccati malitiam, ergo est peccatum seu error hæreticus. Hæc consequentia Prob. peccatum istud pertinet ad infidelitatem, cum sit error in fide; & cum non sit Paganismus, nec Judaismus, nec Apostasia, erit Hæresis, quia non sunt aliæ species infidelitatis.

3. Si quis ex ignorantia crassa, vel affectatâ hominem occideret, verè & propriè esset homicida, & incurreret pœnas homicidis debitas, ergo similiter qui post susceptum Baptismum ex tali ignorantia habet errorem in fide, verè & propriè est hæreticus.

4. Aliàs sequeretur quod numquam, aut rarissimè quispiam esset formaliter hæreticus, quia nemo errat nisi ex aliqua ignorantia. Tum etiam quia omnis hæreticus ignorat veritatem suo errori oppositam contineri in S. Scripturâ, & Ecclesiam Catholicam esse veram Ecclesiam; nam aliter intelligit S. Scripturam, & aliam putat esse veram Ecclesiam, ergo errat per ignorantiam, & tamen formaliter hæreticus est.

5. Qui vult ignorare quid Ecclesia Catholica sentiat, coipso non vult sentire cum Ecclesia,

*siâ,*



siâ, quia hoc sequitur ex ignorantia crassa, aut saltem ex affectata, ergo talis est hæreticus.

Secunda. Tamen sententia, tenet quod etiam ignorantia crassa excusat à formali hæresi. Cui in hoc assentior.

Prob. omnis ignorantia excludens pertinaciam excusat ab hæresi, sed ignorantia, etiam crassa, pertinaciam excludit, ergo ab hæresi excusat. Maj. patet ex supradictis; Min. vero Prob. Quia pertinacia requisita ad formalem hæresim consistit in voluntate resistendi doctrinæ, quam novit esse Ecclesiæ Catholicæ; sed cum ignorantia crassa talis doctrinæ, non stat voluntas ei resistendi, ergo nec pertinacia, & consequenter nec hæresis formalis. Imo cum tali ignorantia optimè stat quòd aliquis paratus sit se doctrinæ Ecclesiæ (si illam cognosceret) submittere, licet ob negligentiam ipsam de facto ignoret: alioquin non esset tantum ignorantia antecedens, sed consequens.

Major autem difficultas est de ignorantia affectata. Canus de Locis lib. 12. c. 9. tametsi idem sentiat de ignorantia crassa, non tamen de affectata, quia affectatus error fit ex electione, nec paratus est corrigi qui datà operâ instructionem, & doctrinam Ecclesiæ declinat.

Notandum tamen cum Sanchez in sum. lib. 2. cap. 7. n. 23. ignorantiam dupliciter posse affectari. Uno modo ex falsa opinione contra Ecclesiam, contemnendo ejus auctoritatem, & doctrinam, licet ipsam ignoret. Hæc ignorantia

tia nullatenus excusat, quia sic ignorans non est paratus mutare errorem, aut ab Ecclesia corrigi. Similiter si quis affectet ignorantiam ut liberius erret in fide, est hæreticus, quia se recedere ab Ecclesia est magis voluntarium, & sic non est sine pertinacia, cum nolit Ecclesiæ subjici. Alio verò modo affectari potest hæc ignorantia ex negligentia, & tædio addiscendi eâ quæ credenda sunt, ut liberius vivat vel ex alia simili causa. Quâ distinctione præmissâ.

Dici potest quòd ignorantia secundo modo affectata, etiam à formali hæresi excuset sicut crassa, licet non à peccato. Ratio est, quia tunc etiam abest pertinacia, cum non excludat promptum animum mutandi sententiam secundum doctrinam Ecclesiæ, Imo ideo affectat nescire, ne dum deberet se Ecclesiæ subijcere, impediretur à liberiori vita. Non ergo affectat nescire ut non credat, sed ut liberius vivat. Ita sentit ibidem Sanchez pro qua etiam citat Aragon 2. 2. q. 11 a. 2. col. 8. & Bannes 2. 2. q. 11. art. 2. §. sed quæret quis Azor. tomo 1. l. 1. Instit. c. 14 q. 9. & l. 8. c. 8. q. 4. & c. 9. q. 8. Ledesma tomo 2. sum. tract. 1. cap. 6. post 4. concl. diffic. 2.

Ad 1. Arg. Resp. S Thom. ibi loqui quoad forum externum secundum præsumptionem Ecclesiæ, quia non videtur fieri posse, quòd ea que in omnium Catholicorum ore versantur, & ab Ecclesiâ solemnizantur, ab aliquo inter fideles habitante ignorentur. Vel intelligi potest de hæresi



hæresis imperfectâ, quæ pertinaciam non requirit, quia non facit absolute & simpliciter hæreticum, sic ipsum explicat Canus ubi supra, Licet ergo affectata ignorantia modo secundo, ab hæresi excuset, non tamen à peccato, quod satis est ad intentum S. Thom.

Ad 2. Resp. Illum errorem & peccatum reductivè tantum pertinere ad hæresim formalem, non autem directè, sicut cætera peccata ex ignorantia commissa reducuntur ad speciem cuius essent si scientes committerentur. Et ideo dici potest hæresis imperfecta. Verum quidem est, quod ignorantia affectata potius augeat peccatum quàm minuat, hoc tamen intelligendum est secundum affectum unde procedit; cum igitur talis solum affectet liberiores vitam, in hoc genere peccatum augebit, non autem in genere infidelitatis quam non directè affectat.

Ad 3. neg consequentia. Et disparitas est, quia ad homicidium & alia peccata non requiritur scientia tamquam circumstantia ex parte objecti, sed tantum ratione genericâ, ut sint voluntaria: ideo ex tali ignorantia hominem occidens est formalis homicida. Ad hæresim autem requiritur scientia, tamquam essentialis circumstantia tenens se ex parte objecti, quia sine illa non invenitur pertinacia ad hæresim requisita. Ac proinde sublarâ illâ scientiâ per quamcumque ignorantiam, licet maneat voluntarium sufficiens ad culpam, non tamen

tamen sufficiens ad hæresim perfectam seu formalem.

Ad 4. negatur sequela: licet enim hæresis possit esse cum ignorantia concomitante, non tamen cum ignorantia quæ notitiam auctoritatis & doctrinæ Ecclesiæ excludit, nisi sit affectata primo modo scilicet ex contemptu Ecclesiæ.

Ad 5. Resp. Aliud esse non velle scire aut sentire id quod sentit Ecclesia ex contemptu ipsius, & sic esset hæresis; Aliud nõ velle sentire quod sentit Ecclesia, propter alium finem, v. g. liberioris vitæ.

Ex dictis potest colligi quàm multi sint in partibus hæreticorum qui non sunt formaliter hæretici, sed tantum negativè, & quod fides Catholica non sit ipsis sufficienter proposita; licet enim ab illis quorum curæ subsunt, scilicet parentibus & magistris hæreticis & pseudo-ministris de illis sæpe audiant & instruantur quid Papistæ, ut dicunt, teneant; tamen hoc non fit nisi cum derisionibus, calumniis, & mendaciis; dum describitur Summus Pontifex tamquam Antichristus, & bestia Apocalypctica, & Ecclesia Romana quasi idololatra, & sic de aliis, in quibus à pueritia imbuuntur, & consequenter absterrentur tamquam à doctrina carente omni credibilitate. Et sic pejus ipsis est quàm si de fide Catholica nihil unquã audivissent. Unde passim rudiores laborant invincibili ignorantia eorum quæ ad credendū, aut pertinaciter discredendum scire deberent.

Unde

Unde tales non incurrunt excommunicationem bullæ Cœnæ, quæ non tantum contumaciam, sicut quæcumque major excommunicationis, præsupponit, sed etiam pertinaciam, ad formalem hæresim requisitam. Imo inde etiam potest inferri tales rudiores laborantes ignorantia invincibili, circa multa mysteria fidei, dummodo credant illa quæ sunt de necessitate mediæ, in illa fide posse salvari, supponimus tamen quod baptizati sint, & inde habeant habitum fidei, hic enim in ipsis non est amissus, cum fides infusa non perdat nisi per infidelitatem formaliter oppositam, sic etiam tenet Layman, lib. 2. tract. 1. c. 12. n. 3.

Hoc tamen dici non potest de illis qui non credunt illis quæ sunt de necessitate præcepti ex ignorantia crassa vel affectata; licet enim hæc excuset ab excommunicatione; dummodo talis sit de qua ante locuti fuimus, nullatenus tamen à peccato mortali, uti jam sæpius dictum fuit.

## ARTICULUS IV.

*An dubius in fide sit hæreticus.*

**S**upponimus ante omnia, non sufficere ad hæresim dubium indeliberatum, seu motum subitanæ abque consensu voluntatis. Uti nec importunas vexationes, quibus sæpè

tor-

torquentur anxie & scrupulose conscientie.

Similiter etiam non agitur de dubio quo aliquis hæret, an aliquid sit de fide, eo quod ignoret utrum Catholica Ecclesia ita teneat. Queritur ergo de dubio, quo licet aliquis novit propositionem aliquam doceri ab Ecclesia Catholica, nihilominus dubitat an vera sit. Pro quo adhuc distinguendum est inter dubium positivum, & dubium negativum. *Negativum* est quando proposita aliqua veritate, aliquis suspendit actum, nolens aut negligens examinare motivum veritatis, vel ad alia cogitanda se divertit. De hoc etiam dubio non agitur. *Positivum* autem est quando quis reflectit super propositionem quæ ab Ecclesia Catholica docetur, & tamen dubitat an vera sit. Et de hoc dubio in presenti agitur, an stare possit sine formali hæresi.

Pro parte negativa arguitur 1. hæresis (uti patet ex diffinitione ipsius supra examinata) consistit in electione pertinaci contra doctrinam fidei Catholicæ, quibus autem non habet talem electionem, sed quasi pendulus hæret quidnam eligendum sit.

2. Hæresis est error contrarius fidei, error autem formalem assensum seu dissensum importat, qui non reperitur in dubitante.

3. Fides & Hæresis sunt habitus extreme oppositi, inter quos mediat dubium, quod nec assensum, nec dissensum includit, sed inter utrumque hæret.

Dicen-

Dicendum tamen quod deliberatè & positivè dubitans de articulis fidei an veri sint, formaliter sit hæreticus. Hæc conclusio est communis. Et Prob. 1. Ex cap. de hæreticis 1. *Dubius in fide infidelis est.* Quod quidem aliqui intelligunt non de infidelitate oppositâ fidei Catholicæ, sed de infidelitate morali veritati contrariâ. Sed contrarium patet ex titulo cum agatur ibi de hæreticis.

Prob. 2. Ex Clement. 1. de Summa Trinit. §. Porro ubi hæretici dicuntur, tam qui negant animam esse immortalem, quàm qui de illa veritate dubitant. Idem autem est de aliis veritatibus fidei.

Etiam S. Bern. lib. 5. de consid. c. 2. *Fides ambiguum non habet, & si habet, fides non est.* Item Hugo de S. Vict. lib. 1. de Sacram. p. 10. cap. 2. *ubi dubitatio est, fides non est.*

3. Prob. Ratione: formale seu positivum dubium procedit ex cognitione, quâ judicatur motiva alicujus propositionis non esse sufficientia, ut intellectum convincant, vel ad assentiendum inducant; sed qui habet tale iudicium de insufficientia motivi ad assentiendum veritatibus fidei, est hæreticus, ergo sic dubitans hoc ipso est hæreticus. Maj. Prob. Dubium positivum non consistit in sola suspensione omnis actus, sed solùm in suspensione actus assensus vel dissensus, circa ipsam veritatem propositam, non autem circa motiva suspensionis: verè enim & positivè judicat motiva esse

esse insufficientia ad assentiendum propositæ veritati. Min. verò Prob. Judicare divinam revelationem propositam per Ecclesiam non esse sufficientem, ad assentiendum iis quæ sic proposita sunt, est hæreticum, quia hoc est judicare, aut Deum non esse verum, aut Ecclesiam Catholicam non esse infallibilem.

Confirm. fides requirit certum & firmum assensum de omnibus credendis, dubium verò certum & firmum assensum excludit, ac proinde dubium stare non potest cum habitu fidei. Nec satis est quod reliquis articulis firmiter & certò adhæreat, licet quoad unum dubitando sit incertus; quia sicut discredens uni articulo omnibus discredet: sic dubitans de una veritate fidei, de omnibus dubitat, & de nullo est certus.

Ad 1. Argum Resp. Quod ad infidelitatem seu hæresim sufficiat pertinax adhæsiō seu electio motivi dubii, quo excluditur certitudo essentialiter ad fidem supernaturalem requisita.

Ad 2. & 3. Res non solum errari posse circa ipsam veritatem creditam, sed etiam circa motivum; qui autem dubitat, in hoc errat quod judicet motivum Ecclesiæ non sufficere ad assensum fidei.

Ex dictis sequuntur hæc Corollaria.

1. Habens anxiam conscientiam per motus subitaneos & indeliberatos dubii positivi in materia fidei, non est hæreticus imo nec peccat contra fidem: ad peccandum enim, maximè

contra fidem, matura requiritur deliberatio, Consulendum proinde ut tales motus negligat & contemnat, nec se affligat quod abjicere non possit, quia hoc est sæpè impossibile, maximè in laborantibus forti & turbatâ phantasiâ. Tale igitur dubium ex infirmitate procedit.

2. Dubitans de fide nondum sufficienter proposita, non est hæreticus, imo sic regulariter disponuntur paulatim magis & magis quâ ad fidem convertuntur. Et tale dubium provenit ex ignorantia.

3. Dubitans de aliqua propositione num sit de fide, seu utralis ab Ecclesia proposita, non est hæreticus.

4. Audiens fundamenta hæreticorum, quæ tam fortia ipsi videntur, ut non possit illa solvere, per hoc non censetur dubius esse, aut inconstans, aut infirmus in fide, dummodo captivæ imbecillitatem intellectus sui, sub auctoritate Ecclesiæ Catholicæ.

## ARTICULUS V.

*An hæretici pœnam Excommunicationis incurrant ipso facto.*

**C**ertum est quod illi qui tantum errant in fide ex mera ignorantia invincibili, & qui tantum materialiter dici possunt hæretici, pœnam

pœnam Excommunicationis non incurrant: sicut enim defectu pertinaciæ excusantur à peccato hæresis, quæ pertinaciam requirit, multò magis excusabuntur à pœna Excommunicationis, quæ contumaciam requirit. Ac proinde rudes & simplices personæ hanc pœnam non facillè incurrun.

Inquiritur ergo de hæresi formali tam internâ quàm externâ Et quoad merè internam non est dubium, quia enim Ecclesia non iudicat de merè internis, ideo neminem punit propter tales actus.

Similiter non incurritur excommunicatio ob hæresim merè externam sine interna, censura enim illa fertur contra veros hæreticos, tales autem non sunt, qui externè tantùm, & non internè sunt hæretici.

Reducitur igitur tota quæstio ad hæreticum qui internam & formalem hæresim externo actu manifestat. Et dicimus talem ipso facto quo internam hæresim externè manifestat, etiam nemine præsentè, incidere in excommunicationem majorem. Et ratio est, quia tam in Bulla Cœnæ, quàm in aliis bullis prioribus, sententia excommunicationis fertur contra omnes hæreticos, & clarè exprimitur quod statim ipso facto sine ulteriore fulminatione incurratur: ergo de hoc non est dubitandum quantum ad formales hæreticos, qui internam hæresim externè manifestant. Dixi *etiam nemine præsentè*, quia licet sine alicujus præ-

sentia maneat hæresis occulta, non tamen interna tantum, sed etiam externa quæ jurisdictioni Ecclesiæ de exterioribus judicantis, per talem licet oculum actum subicitur.

Notandum tamen est quod illa signa externa debeant esse talia, quæ vel ex natura sua vel ex intentione operantis ad manifestationem dirigantur. Si autem signa illa indifferèntia sint, nec ad hoc directa, probabilius est quod non sufficiant ad incurrendam excommunicationem.

Objicies illud Apostoli ad Tit. 3. v. 10. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem evita.* Ergo antequam pœna excommunicationis à quopiam incurratur, requiritur una aut duplex admonitio seu correptio. Per devitacionem enim excommunicatio intelligitur, quia ipsius effectus est. Et S. Th. ad illum locum dicit quod Ecclesia non statim condemnat, sed post primam aut secundam correptionem. Ex quibus videtur concludi hæreticum non esse excommunicatum ipso facto.

Resp. 1. Apostolum velle ut hæreticus semel aut iterum corripiatur, antequam ut incurabilis omnino ab Episcopo deferatur, ut non habeat excusationem.

2. Illam doctrinam Apostoli habere locum tantum de excommunicatione lata ab homine, quæ requirit præviam admonitionem, ut habetur *e. in presentia. & c. Sacro de sent. excommuni.* Excommunicatio autem lata à jure hoc non

non requirit. Ipsa enim lex dum fertur prævia admonitio est.

## ARTICULUS VI.

*In quibus liceat cum hæreticis communicare.*

**T**Ametsi olim vitandi essent omnes Hæretici, quomodocumque cogniti; nec à fidelibus admitti possent ad ullam communicationem sive civilem, sive Religiosam; Tamen ob inquietudinem fidelium habentium timorata conscientiam, hoc reductum est ad solos hæreticos publicè denunciatos, quod factum fuit à Martino V. in Conc. Constant. & in Conc. Basileens. sess. 20. confirmatum, uti etiam postea sub Leone X. sess. 10. Quod decretum Martini sic habet. *Ad evitanda scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuitur quod nemo deinceps à communione alienjus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, pretextu cujuscumque sententiæ aut Censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine vel à jure generaliter promulgata teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententiæ, prohibi-*





## 168 TRACTATUS IV.

*tio, suspensio vel censura huiusmodi fuerit contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, aut locum certum à iudice publicata vel denunciata specialiter vel expresse.*

Quo decreto licet permittatur fidelibus communicatio, tam in divinis, quam civilibus, cum hæreticis & aliis excommunicatis non denunciatis, non tamen vicissim conceditur ipsis excommunicatis etiam non denunciatis, ut cum aliis fidelibus possint conversari, aut communicare, quia hoc solùm concessum est in favorem fidelium.

Et hoc quidem est quod permittitur fidelibus, dummodo nihil aliud obstat, vitandi enim sunt, imo maximè hæretici occulti, propter periculum perversionis, & sæpe etiam scandali. Præcipuè autem cavendum est conversari cum illis qui in omnibus colloquiis aliqua effutunt contra fidem Catholicam, calumniando & detrahendo Ecclesiasticis, deridendo Sacramenta & Ecclesiæ cæremonias, quia per hoc inficiunt paulatim mentes pusillorum, imo sæpè etiam majorum, uti experientia satis hactenus ostendit.

Monendi autem sunt Catholici parentes ne facile tradant proles imbuendas hæreticis Magistris, etiam in primis rudimentis, nec collocent apud hæreticos Mercatores, seu amicos, secreto enim femina aliqua teneris animis pusillorum inseruntur, quæ sæpè post plurimorum tandem annos pullulant; & inperceptibiliter inficiunt.

ARTI-

## DE HÆRETICIS. 169

## ARTICULUS VII.

*De communicatione cum hæreticis quoad spiritualem potestatem Ordinis.*

**P**RO resolutione distinguenda est potestas Spiritualis, prout distinguit S. Thom. 2. 2. q. 39. a. 3. his verbis. *Duplex est spiritualis potestas; una quidem Sacramentalis, alia jurisdictionis; Sacramentalis quidem potestas est que per aliquam consecrationem confertur. Omnes autem consecrationes Ecclesiæ sunt immobiles, manente re que consecratur; sicut etiam patet in rebus inanimatis; nam altare semel consecratum, non consecratur iterum, nisi fuerit dissipatum. Et ideo talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in scisma, sive in heresim labatur. Quod patet ex hoc quod rediens ad Ecclesiam non iterum consecratur. Validdè igitur Hæreticus utitur potestate Ordinis, sed non licitè. Quod consequenter ibidem probat: sed quia potestas inferior non debet exire in actum, nisi secundum quod movetur à potestate superiori, ut etiam in rebus naturalibus patet, inde est quod tales usum potestatis amittunt, ita scilicet, quòd non liceat eis suà potestate uti, si tamè usi fuerint, eorum potestas effectum habebit in Sacramentalibus, quia in his homo non operatur.*

H 4

*tur, nisi sicut instrumentum Dei. Videatur etiam 3. p. q. 82. a. 7. ubi sequentia argumenta objicit & solvit: 1. ex S. August. lib. sent. cap. 15. tomo 3. Extra Ecclesiam Catholicam non est locus veri Sacrificij. Et Leo Papa Epist. 38. & habetur 1. q. 1. cap. In Ecclesia Dei ubi dicit: In Ecclesia Dei qua corpus Christi est, aliter nec rata sunt Sacerdotia, nec vera Sacrificia, nisi in proprietate sua natura verus nos Pontifex reconciliet 2. Ille qui est extra Ecclesiam, non videtur aliquid posse agere in personam totius Ecclesiae; quia omnes orationes proponit in personam Ecclesiae. Ergo videtur quod haeretici non possint consecrare Eucharistiam, quod tamen spectat ad potestatem Ordinis.*

*Respondet S. D. ad 1. Quod auctoritates illae & similes, intelligenda sunt quantum ad hoc, quod non recte extra Ecclesiam Sacrificium offertur, unde extra Ecclesiam non potest esse spirituale sacrificium, quod est verum veritate fructus, licet sit verum veritate Sacramenti. Ad 2. Resp. Quod Sacerdos in Missa in orationibus quidem loquitur in personam Ecclesiae in cuius unitate consistit; sed in consecratione Sacramenti, loquitur in personam Christi cuius vicem in hoc gerit per Ordinis potestatem; & ideo si Sacerdos ab unitate Ecclesiae praecisus, missam celebret, quia potestatem Ordinis non amittit, consecrat verum corpus & sanguinem Christi, sed quia est ab Ecclesia unitate separatus, orationes ejus efficaciam non habent.*

Objici

*Objici potest 3. ad valorem usus potestatis Ordinis v. g. circa Sacramenta, requiritur saltem intentio faciendi quod facit Ecclesia: Sacerdos autem haereticus qui non credit in Ecclesiam, non potest talem intentionem habere: fides enim intentionem dirigit, ut August. dicit contra Iulian. ergo cum in haeretico desit fides, non poterit valide perficere Sacramentum, nec uti potestate Ordinis. Resp. S. Thom. ubi supra q. 64. a. 9. ad 1. si, videlicet haereticus Sacerdos, patitur fidei defectum circa ipsum Sacramentum quod exhibet; licet credat per id quod agit exterius nullum sequi interiorum effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia Catholica intendit per huiusmodi qua exterius aguntur, praebet Sacramentum. Unde non obstante infidelitate, potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet estimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad Sacramentum. Sed de hac difficultate redibit sermo infra tract. de Baptis. art. 2.*

## ARTICULUS VIII.

*Virum haereticus retineat potestatem jurisdictionis spiritualis.*

**H**æretici nominatim excommunicati, & non tolerati ab Ecclesia, amittunt jurisdictionem

H 3

ditionem



ditionem spiritualem, nec validè efficiunt illos actus qui jurisdictionem requirunt. Quod probat. S. Thom. ubi sup. 2. 2. q. 39 a. 3. *Potestas jurisdictionis est, quæ ex simplici injunctioe hominis confertur, & talis potestas non immobiliter adheret, unde in Schismaticis & hæreticis non manet, unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi. Quod si fecerint, nihil est actum.*

Dixi & non tolerati, quia licet excommunicati sint, ipso facto quo à fide deficiunt, quamdiu tamen non sunt nominatim excommunicati, seu ut tales denunciati, & consequenter tolerantur ab Ecclesia, non perdunt potestatem jurisdictionis, quam proinde validè exercent. Et hoc in bonum fidelium. Non tamen eandem licitè exercent, quia per excommunicationem omni communicatione, etiam spiritali, privantur, & utrumque conforme est decreto Martini V. cap. ad evitanda scandala uti supra art. 6. retulimus. Quod decretum dudum post mortem S. Thomæ emanavit, & ideo non potuit ejus mentionem facere, & conformiter ad illud resolvere.

Cum autem hæretici tolerati validè utantur potestate jurisdictionis, licitè possunt alij fideles ab ipsis Sacramenta recipere, secluso tamen scandalo, & periculo perversiois. Et hoc expressè per dictum decretum seu extravag. permittitur his verbis: *Statuitur quod nemo deinceps*

*deinceps à communione alicujus, in Sacramentorum administratione aut receptione, aut aliis quibuscumque divinis, prætèxtu cuiusvisque sententiae aut censura Ecclesiastica &c. teneatur abstinere.*

Dices: Alij fideles non possunt recipere ab excommunicatis, quod ipsi non possunt licitè conferre, ipsi autem non possunt licitè conferre Sacramenta, cum non possint licitè communicare cum alijs fidelibus: quia extravag. Martini V. nullatenus est in favorem Excommunicatorum; sed tantum aliorum fidelium. Ac proinde non est licitum ipsos inducere ad conferendum Sacramentum v. g. Pœnitentiæ, quia hoc esset ipsos inducere ad id quod sine peccato facere non possunt.

Resp. quod licet excommunicatus seipsum non posset ingerere administrationi Sacramentorum sine gravi peccato, rogatus tamen licitè administrare possit quamdiu non est nominatim denunciatus, uti cum alijs tenet noster Victoria Sum. de Excom. 13. Et ratio videtur clara: quia alioquin frustra Martinus V. concessisset fidelibus quod possint in administratione Sacramentorum communicare cum excommunicatis toleratis, si hi rogati à fidelibus non possent illa ipsis administrare, alioquin fideles cooperarentur peccato ipsorum. Licet enim decretum illud non sit in favorem Excommunicatorum, quia tamen est in favorem aliorum fidelium, permittitur indirectè ut uti possint

suâ jurisdictione, dum à fidelibus quibus per-  
mittitur ab Excommunicatis Sacramenta re-  
cipere, ad hoc faciendum inducuntur.

Dices 2. Qui est præcisus ab Ecclesia non  
potest in Ecclesia habere rationem superioris  
per jurisdictionem, sed hæretici etiam tolerati  
præcisus sunt ab Ecclesia, ergo nõ possunt in illa  
exercere jurisdictionem, maxime spiritualem.

Resp. Determinationem præcisionis quæ  
est pœna Ecclesiastica, ab ipsa Ecclesia depen-  
dere, ergo cum ipsa determinaveris per Marti-  
num V. quod fideles communicare possint cū  
excommunicatis toleratis in administratione  
Sacramentorum, non sunt ita præcisus ut perdi-  
derint jurisdictionem.

Ex dictis sequitur, quod circa scandalum &  
perversionis periculum licite possint fideles  
confiteri Excommunicato tolerato, & quod  
ipse rogatus licite possit hoc Sacramentum  
(uti & alia) administrare. Et hoc intelligitur  
etiam extra casum necessitatis, cum Pontifex  
nullam circa hoc limitationem apposue-  
rit.

Inquires quid ergo facere debeat excom-  
municatus toleratus ut audiat confessionem,  
cum in statu peccati mortalis in nullo casu  
liceat Sacramenta conferre?

Resp. Conetur se ex statu peccati mortalis  
liberare per contritionem de peccatis suis,  
quod etiam facere potest hæreticus Sacerdos si  
velit, si autem nolit, sibi impatet; fidelis au-  
tem

tem petens utitur jure suo, cui potest alter lici-  
te satisfacere, si velit.

Nihilominus tamen quando nulla est vera  
necessitas, contra charitatem ageret qui hære-  
ticum quem scit non administraturum Sacra-  
mentum v.g. Pœnitentiæ debitâ dispositione,  
ipsum ad hoc induceret. Secus tamen si adesset  
necessitas, aut gravis utilitas, nec ullus alius  
inveniretur.

Imo in casu necessitatis v. g. in articulo  
mortis cum nullus alius haberi potest, non  
tantum est licitum, sed obligantur fideles con-  
fiteri excommunicato, etiam denunciato &  
non tolerato, quia in illo casu nulla est refer-  
vatio uti colligitur ex Conc. Trid. sess. 14. c. 7.  
*in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla  
sit reservatio in articulo mortis, atque ita omnes  
Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis pec-  
catis & censuris absolvere possunt.* Et cum  
Conc. generaliter dicat omnes Sacerdotes nul-  
lis exclusis, inter illos etiam Excommunicati  
denuntiati includuntur. Ac proinde in casu  
articuli mortis, dum alius haberi non poterit,  
nisi excommunicatus Sacerdos, & ipse tunc  
habeat potestatem absolvendi, non tantum  
poterit, sed etiam tenebitur moribundus, con-  
fessus sibi peccati mortalis, taliter Excommu-  
nicato confiteri.

## ARTICULUS IX.

*An licitum sit sepelire hæreticos notorios  
non tamen denunciatos, in  
loco sacro.*

**D**iversa sunt decreta in jure Canonico prohibentia sepulturam hæreticorum in loco sacro, sive Ecclesiasticâ sepulturâ. Sic expressè habetur Clement. 1. de sepultaris, & c. *Sacris* de sepulturis, ubi sic dicitur: *Sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui prius erant ab Ecclesiasticâ unitate præcisi.* Quibus si addatur extravag. Martini V. *ad evitanda*, clarè infertur quòd sepultura Ecclesiastica neganda non sit hæreticis etiam notoriis, dummodo non sint nominatim excommunicati seu denunciati; hoc in primis colligitur ex Clement. I. & ex c. *Sacris* jam relatis, ubi ratio negandi sepulturam ponitur *ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis.* Ac proinde bene sequitur, quod illis communicare possimus defunctis, quibus communicare potuimus vivis: cum igitur hoc concedatur per Bullam *ad evitanda*, etiam primum erit licitum, sepeliendo hæreticos

*hæreticos non denunciatos in sepultura Ecclesiastica, seu in loco sacro.*

## ARTICULUS X.

*An locus Sacer violetur per sepulturam  
hæretici non denunciati.*

**Q**uòd per sepulturam hæreticorum locus sacer violetur seu polluat, colligitur ex c. *consulvisti* de Consecr. ubi dicitur: *Camiteria in quibus Excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt.* Quod tamen post decretum seu extravag. Martini V. non aliter intelligi debet quàm de denunciatis. Et sic tenet Navar. lib. 5. de Hæret. consil. 10. ad 4. ubi ait: Ratio quare per Excommunicati sepulturam Ecclesia excretur, & Missa & alia officia divina publicè ibi non debeant fieri, est illa, quod cui non communicamus vivo, non debemus communicare mortuo, ut habet prædictum c. *Sacris*; quæ ratio cum non habeat locum hodie per extravag. *ad evitanda*, nisi in Excommunicatis denunciatis, non habebit etiam locum in sepultura hæretici non denunciati. Hæc Navar. Idem sentiunt Layman lib. 5. tract. 5. c. 5. n. v. ubi citat Victoria, Suarez, Coninck & alios.

## ARTICULUS II.

*An Catholicus validè & licitè accipiat  
beneficium à Patrono  
hæretico.*

**Q**UÆSTIO ista dependet ab alia: scilicet  
Utrum Patronus hæreticus perdidit per  
hæresim, & excommunicationem, jus patronatus,  
si enim perdidit, nullus superest locus  
quæstioni; invalidè enim confertur aliquid  
à non habente jus conferendi.

Certum est autem quòd hæreticus seu Ex-  
communicatus publicâ denuntiatione, non  
possit validè beneficium conferre, quia jus pa-  
tronatus eo ipso quo sic denuntiatus fuit, per-  
didit. Ita Navar. lib. 3. Conf. 1. de jure Patron.  
Et ex illo Sanchez Conf. mor. lib. 2. c. 3. dub. 51.  
n. 10. ubi multos juristas citat.

Dubium ergo solum est de hæreticis tole-  
ratis seu denuntiatis, an per extravag. *ad evi-  
tanda scandala* hoc ipsis permittatur, ut si ha-  
beant jus patronatus, istud retineant. Aliqui re-  
solvunt negativè, & quòd tantum ipsis conce-  
datur ut exercent ea quæ ipsis competunt ra-  
tione publici officij, quòd non invenitur in ju-  
re patronatus. Sic tenet Covarr. c. *Alma Mater*  
1. p. 7. n. 9. & Henric. de Excom.

Tenen-

Tenendum tamen est quòd post emana-  
tionem extravag. jam toties citatæ hæreticus  
nototius (non tamen denuntiatus) non per-  
dat jus patronatus. Sic tenet Sanchez lib. 3.  
de Matrim. disp. 22. n. 31. Qui se fundat in  
eo quòd Ecclesia ibi permittat communica-  
tionem cum excommunicatis toleratis, prop-  
ter bonum commune, ne plurima inde orian-  
tur scandala, multiq; detestâ postea excom-  
municatione de suo statu dubitent, & sic ti-  
moratis conscientijs non satis consulatur.  
V. g. si hæreticus occultus contulisset benefi-  
cium tamquam patronus, & post longam pos-  
sionem innotesceret quòd tempore colla-  
tionis fuisset hæreticus, & consequenter per-  
didisset jus patronatus, fieret turbatio, & dam-  
num alijs fidelibus: quibus malis voluit Marti-  
nus V providere. Dices: Quòd per hoc quòd  
hæreticis relinqueretur jus patronatus, Mar-  
tinus V. favisset ipsis, jus quippe illud mag-  
num est beneficium. Resp. Quòd Pontifex in-  
directè tantum favorit hæreticis, propter bo-  
num aliorum fidelium, quòd directè intende-  
bat.

Quo præsupposito, dicendum, quòd hæreti-  
cus quantumvis nototius, non tamen publicè  
denuntiatus, non perdat jus patronatus, quòd  
ante hæresim habuerat, ac per consequens va-  
lida sit collatio beneficij quòd in illo statu fuit  
collatum; dummodo accesserit collatio sive  
approbatio legitimi Ordinarij. Ita Lessius in  
opere

opere posth. V. Beneficium casu 6. Et patet ex dictis; nec opus est ulteriori probatione.

Requiritur tamen collatio seu approbatio legitimi Ordinarij, quia hoc etiam requiritur licet Patronus sit Catholicus, Cujus ratio est quia Patronus, maximè laicus, non habet facultatem conferendi jus in re, sive Dominium, sed tantum jus ad rem: per collationem autem seu institutionem ordinarij confertur jus in re. Unde qui aliter, scilicet ex vi solius collocationis Patroni laici, beneficium aliquod possederit, ejusque fructus perceperit aut velit percipere, censetur intrusus, & sic inhabilis fiet ad idem beneficium, nisi in hoc dispensetur. Quod sæpe usui potest venire in locis ubi adhuc hæretici retinent sibi per hæreditatem jus patronatus aliquorum beneficiorum, quæ si ab ipsis alicui Catholico habili conferantur, ipse potest acceptare, si statim recurrat pro institutione ad Ordinarium, si est, vel ad Nuncium Apostolicum in defectu Ordinarij.

## ARTICULUS XII.

*Virum liceat dare pretium Patrono Hæretico pro beneficio sine simonia.*

**C**asus quæsti potest esse: multa sunt beneficia Ecclesiastica in confœderatis Provinciis,

vinciis, quorum collatio seu potius presentatio pertinet ad certas familias, habentes ab antiquo tempore jus Patronatus: Vacante uno ex his beneficiis multi Hæretici pretium offerunt ut illud accipiant. Quod sciens Catholicus aliquis, beneficij capax, ut impediatur ne iterum hæretico conferatur, offert etiam notabile pretium ut id ipsum sibi acquirat. Quæritur utrùm licitè? Lessius ubi supra, hanc difficultatem aliis verbis proponit, videlicet, an sit licitum emere ab hæreticis beneficium. Et meritò respondet negativè: emere enim aut vendere beneficia Ecclesiastica manifesta est Simonia. Consilium tamen suggerit, ut beneficij illius collatio petatur à Summo Pontifice, & una dispensatio ut cum patrono hæretico (licet injustè se pro patrono habeat, si sit denunciatus) possit transigere de fructibus beneficij annexis, sine involutione ipsius beneficij, Pontifex enim non facilè dispensabit ut pretium detur pro ipso beneficio propter scandalum, bene tamen in redemptione fructuum, qui injustè ab hæreticis obtinentur.

Sed hæc resolutio tantum prodest quando hæreticus propter denuntiationem à jure patronatus excidit. Non verò quando non est denunciatus, sicut enim retinet istud jus, si propter alia non amiserit. Utrum tunc non liceat pretium offerre titulo redemptionis injustæ vexationis, ut impediatur ne beneficium hæretico conferatur?

Pro

Pro parte negativa facit, quod redemptio vexationis locum non habeat, nisi pro illo cui jus acquisitum, quod non invenitur in casu nostro.

Pro resolutione notanda est doctrina Cajet. in Opusc. tomo. 2. tract. 6. de simonia, cap. 3. quâ distinguit redemptionem vexationis, unam quæ propriè dicitur talis, quæ tangit aliquem in particulari, & illud jus non læditur, nec aliquis in hoc dici potest vexari, nisi qui jus acquisivit saltem ad rem. Alia est quæ concernit Ecclesiam, cui semper est jus acquisitum ut habeat dignos ministros, Pastores, Canonicos & alios beneficiarios. Patroni autem obligantur ad hoc ut non nisi dignis illa cõferant: Quia tali intentione sunt à fundatoribus instituta, & cum hoc onere virtualiter successoribus est jus Patronatus relictum. Licitum est autem, imo opus magnæ charitatis, cooperari (etiam dato notabili pretio) ad redimendam injustam vexationem Ecclesiæ, & impediendum ne beneficia illa conferantur indignis, & præcipuè hæreticis.

Sed statim se offert nova difficultas, quam etiam consideravit ibidem Cajetanus: Quod ex dictis quidem bene sequatur, quod sit licitum oblati etiam pretio redimere vexam Ecclesiæ, non autem suam; quia ipse nullum habet jus; si autem pecunias offerret hæretico Patrono ut sibi illud beneficium acquireret, nõ tam Ecclesiæ quã suam causam ageret. Propterea Cajet.

con-

concludit hoc non licere, sed tantum procurare per pecunias ut conferatur digno, per quod injusta vexa Ecclesiæ redimeretur.

Nihilominus tamen censeo licitè fieri posse sine simoniâ, ut quis sic redimat vexationem Ecclesiæ, impediendo ne beneficium hæretico conferatur, aut alteri indigno, ita ut simul procuret ut sibi detur. Sic in simili casu tenet Soto lib. 9. de just. q. 6. a. 1. Pontius de Matrim. lib. 5. cap. 18. §. 6. a. 42. Et Lessius & Castro Palaus citati à Verricelli tit. 15. q. 295.

Ratio est: Quia primaria intentio offerentis pretium est redimere vexam Ecclesiæ, impediendo incapaces & indignos; per accidens autem & indirectè petit beneficium sibi conferri; *Actus enim agentium nõ operantur ultra eorum intentionem*, uti in jure dicitur. Tum quia vix separabile est, petere ab hæretico patrono ut beneficium non conferat indigno, scilicet hæretico, & non nominare se, aut alium idoneum Catholicum cui conferatur. Aliud tamen esset si intentio primario ferretur in hoc secundum, quia respectu sui non habet locum redemptio vexæ, uti dictum est.

Eãdem ratione posset quis transigere cum beneficiario, pro resignatione talis beneficii oblato pretio.

Dices: Ex hoc fundamento posset aliquis etiã in partibus Catholicorum palliare suam Simoniam titulo redemptionis vexationis Ecclesiæ

sua

fiat, timendo quod nisi ipse prætenderet, etiam pretio oblato, conferretur indigno: Et quia unusquisque se præ aliis dignum existimat, passim Simonia per hoc palliaretur.

Resp. Hoc non sequi; in partibus enim Catholicorum Ecclesia sic non vexatur, ipsa enim potest remedium adhibere non admit- tendo indignos, sed repellendo, maximè cum Patronus non propriè conferat, sed solum præ- sentet, & vera collatio fiat ab Ecclesiâ.

## ARTICULUS XIII.

*An Catholici emere possint bona fidelium in iusto bello ab hæreticis capta.*

**P**ro resolutione huius dubii adducit Pey- rinus tom. 3. Privil. in addit. c. 4. num. 30. & 31. Aliqua decreta S. Congreg. uni- vers. Inquisit. data ad instantiam R. P. Fran- cisci Longobardi Ord. Minorum, Missio- narii Tuneti in Africâ, ratione quorundam casuum ab ipso propositorum; quorum quin- tus erat: utrum Christiani Tuneti & in illis locis commorantes, possint emere à Piratis in- fidelibus bona à fidelibus rapta, & venum ex- posita, vel eadem dono accipere, ut in suos usus expendant.

2. Utrum

2. Utrum mercatores illorum bonorum peccent & teneantur ad restitutionem, non solum ratione rei acceptæ, sed ratione injustæ ac- ceptionis, tanquam rapientium receptatores, & consequenter teneantur in solidum ad resti- tutionem, non solum mercium emptarum, sed omnium præterea damnorum Christianis illa- torum.

Decretum autem fuit ad 1. casum: *Bona Christianorum à Piratis capta, posse fideles absque noxâ mortali, & onere restitutionis, emptione, donatione, venditione aut alio quo- cumque legitimo titulo sibi accipere, ac in proprios usus convertere, non obstante quod sint in bello injusto capta.*

Ad 2. autem casum sic fuit responsum: *non teneri talem mercatorem aut eminentem ad re- stitutionem bonorum raptorum per Piratas &c. Quæ resolutiones approbatæ fuerunt ab Urbano VIII. anno 1630. in congregatio- ne habitâ coram ipso 25. Julii. Merito tamen aliqui in Congregatione addebant; requiri animum restituendi sic empti, recepto pretio dato, si Dominus rerum emptarum compa- reret.*

Prob. Etiam ratione: quia supponendum est, quòd non sit voluntas Dominorum talium bo- norum, ut soli infideles illis bonis fruantur sine ullo fructu suo; ac proinde credendū est quòd supposito quòd illis carere debeant, malint quòd cedant in commodū fidelium, quam in-

fide;

fidelium. Imo per hoc quòd fideles sic ementes obligantur restituere suo Domino si compareat, aliquod bonum ipsis sperandum est, quod sperari non posset ab infidelibus eadem bona ementibus.

Sic etiam resolvit Lessius ubi supra in opere posthumo V. *Beneficium* casu 6. n. 14. ubi etiam dicit non licere Catholicis aliter emere bona Ecclesiarum, vel Monasteriorum ab hæreticis occupata seu confiscata, nisi cum animo restituendi ea suo tempore legitimis Dominis, cum omnibus emolumentis & fructibus: omne enim quod vero Domino est injustè ablatum, restitutioni obnoxium est.

Nec refert quòd si Catholici illa non emerent, hæretici emerent aut retinerent & fructus acciperent; Quia etiam ipsi ad restitutionem tenerentur. Consultit tamen ibi Lessius, quoad bona Ecclesiastica in Provinciis confœderatis, ut Catholici illa possidentes agant cum superioribus sive Capitulorum, sive Ordinum, sive quomodocumque dominium prætendentium, & cum illis conveniant. v. g. si sint domus seu conventus, seu proventus alicujus Religionis, agatur cum Generali eorum, si alii superiores immediati non sint.

Nihilominus tamen probabiliter judico si ne tali nova conventionem, seu contractum, possent Catholicos bonâ fide possidentes monasteria, domos, templa vel similia bona immobilia, illa tantisper pacificè sibi retinere, quamdiu

diu à propriis Dominis occupari non possunt, nec interea obligantur ad interesse, aut quiddam solvendum pro fructibus. Judicandum quippè est hanc esse implicitam & rationabilem voluntatem Generalium, aut aliorum superiorum Dominorum, aut saltem Summi Pontificis, ut illa bona tamdiu quam ab ipsis quorum sunt, possideri non possunt, possideantur à Catholicis, & ab ipsis conserventur, ut tantò tutius suo tempore Ecclesiæ restituantur. Quod etiam videret magis conforme supra positis decretis. Non poterunt tamen ædificia destruere, quia hoc non deserviret ad intentionem Dominorum, qui illa conservari desiderant, nisi aliter conservari non possint.

Superest aliquid dicere de bonis mobilibus, ut sunt calices, & alia ornamenta altarium, & similia.

Resp. Illa statim restituenda esse (recepto tamen pretio dato si bonâ fide empta sint) Ecclesiæ seu Monasterio proprio, si aliqua ipsius communitas supersit. Si autem ignoretur cujus fuerint, sufficit restituere alicui Ecclesiæ, cum conditione dandi vero Domino si inveniatur. Sic resolvit Cajet. tom. 1. opusc. tract. 31. resp. 17. ubi expressè posuerat casum de emptione calicum, & hujusmodi sacrorum vasorum, quorum certus Dominus, aut Ecclesia ignoratur, nisi forte in communi, v. g. quòd sit alicujus Ecclesiæ, seu monasterii in Hungaria, Belgio, &c. & respondet:

Quòd in tali casu, illa vasa sacra & ornamenta restituenda sint Ecclesiæ Christi si ignoretur propria, videlicet alicui alteri ejusdem ordinis; si nec ordo cognoscatur, alicui Ecclesiæ qualicumque, dummodo Catholica sit, Bona autem Religiosorum dum proprium monasterium non subsistit, danda sunt Missionariis ejusdem Ordinis si in illis partibus inveniantur, aut si non sint, proximiori conventui, aut cui ipsorum Provincialis tradi ordinaverit.

Dixi supra, quòd non sint restituendi omnes Fructus: quod non intelligitur nisi de Catholicis, aut aliis qui bonâ fide incepterunt possidere, aut bonâ intentione in utilitatem verorum Dominorum. Hæretici autem, & malâ fide illam possessionem accipientes, omnimodam debent facere restitutionem.

## ARTICULUS XIV.

*An liceat cum Hæreticis publicè disputare.*

**S.** Thom. 2. 2. q. 10. a. 7. de hac questione expressè agit. Et conformiter ad ejus doctrinam distinguenda sunt duo quæ consideranda sunt in disputationibus de materia fidei. Unum ex parte disputantis, & alterum ex parte audien-

audientium; ex parte quidem disputantis est consideranda intentio seu finis, capacitas & modus. Et ex parte audientium, utrum sint instructi & firmi in fide: An verò simplices, & in fide titubantes.

Quoad 1. intentio seu finis debet esse in disputante, veritatem demonstrare, hæreses confutare, & fideles confirmare. Peccaret autem si disputaret ex dubio quod habet de fide; dubius quippe in fide est hæreticus, & taliter est dispositus, qui eâ intentione disputationem aggreditur, ut paratus sit fidem relinquere, si contrariæ rationes magis placeant. Quod tamè sic est intelligendum, si semel fuerit sufficienter instructus in fide; aliud quippe est de illo qui nondum bene instructus, ulterius suam ignorantiam per disputationem, aut ulteriorem inquisitionem intendit superare.

Secunda conditio disputantis est capacitas per doctrinam, seu modum persuadendi: sæpè enim mediocriter doctus aptior est ad fructuosè disputandum, quàm profundè doctus, dummodo in controversiis bene sit versatus, & facilem modum habeat res fidei pro captu audientium proponendi. Si tamen adversarius homo sagax sit, & in suis principiis multum imbutus; opus est majori capacitate, ut cum illo disputetur. Ideo anno 1630. die 25. Julij cum propositum fuisset in S. Congreg. S. R. E. & universalis Inquisitionis, coram Urbano VIII, an disputandum sit cum infidelibus

delibus, ad hoc provocantibus, sic responsum & resolutum fuit: *Disputatio de rebus fidei laicis est prohibita: Sacerdotes nisi valde periti ex consilio debent ab ea se abstinere, excusando se bonis verbis & prætextibus.* Cum igitur requiratur non solum peritos, sed valde peritos, non debet aliquis facile præsumere de sufficienti sua doctrina, ut publicè aut in magno consortio disputare, audeat cum hæreticis.

Quod confirmari potest ex resolutione S. Congreg. de propaganda fide data anno 1644. cum enim in Turonia indictus esset congressus inter hæreticos & Catholicos pro stabilienda una religione in Polonia, & mitterentur litteræ ipsius congressus ad dictam S. Cong. Referente Eminentiſſ. Cardinale Matheo: *Censuit* (scil. S. Cong.) *scribi eidem Missionario* (P. D. Joanni Judischo qui litteras Romam miserat) *& reprehendi quòd suscepit onus convocandi dictum conventum, cum materia de fide Catholica non possint sine Sedis Apostolicæ speciali mandato tractari,* sic refert P. Verricelli quest. 88. Et ejusdem videtur mentionem facere Card. Lugo de fide disp. 22. sect. 5. n. 143. Qui ibi agit de quibusdam conditionibus & modo quo tales conventus seu publicæ disputationes fieri debeant; habito tamen prius consensu suæ Sanctitatis. Ac proinde quantumvis quis doctus sit, & peritus, non potest publicam disputationem aggredi, sine tali consensu. Nisi fortè periculū in mora esset, & fides Catholica interea pateretur.

Per

Per publicam autem disputationem non intelligitur illa quæ fit coram multis præsentibus, sed quæ fit per congressum ad hoc indictum, uti erat casus propositus.

Laicis autem personis etiam hoc non licet coram multis facere, sine tali indictione seu provocatione: hoc expressè cautum fuit ab Alexandro IV. & habetur in cap. *quicumque* §. *inhibemus* de hæreticis in 6. ubi sic dicitur: *Inhibemus quoq; ne cuiquam laica persona liceat publicè, vel privatim, de fide Catholica disputare: qui verò contra fecerit excommunicationis laqueo innodetur.* Notandum verò hanc excommunicationem non incurri ipso facto, sive ante sententiam; quod patet ex eo quod dicatur in imperativo *innodetur.* Peccabit tamen mortaliter qui contra fecerit; tum quia pœna excommunicationis non fertur, nisi propter peccatum mortale, tum etiam quia finis est gravis, nempe bonum fidei, ne irideatur, aut ne rudes scandalizentur & à fide recedant.

Limitant tamen dictum decretum Cæter. 2. 2. q. 10. a 7. Bannez, Sylvius & alii, ad laicos indoctos, prout regulariter sunt; si autem contingat aliquem inter ipsos esse doctum, & in controversiis bene versatum, non peccabit mortaliter, si non quidem publicè, sed in particularibus consortiis, (quando inde speratur certa fidei utilitas, uti per experientiam sæpe est visum) imo per hoc interdum magis confunduntur hæretici, dum vident homines

alioquin rudes, adeo firmos in suâ fide, ut ipsorum argumenta tam facile eludant.

Similiter notat Cajet. ibidem; prohibitionem illam tantum intelligi de disputatione formali & cum hæreticis, non autem de materiali quæ fit gratiâ exercitii, & honoris, ut sæpè fit in confortio Catholicorum inter se, quod tamen semper fieri debet cum magnâ cautelâ, ne inde aliquando occasio accipiat in fide dubitandi.

Circa modum autem disputandi quando ita requiritur, prudenter est procedendum, ne id fiat clamorosè, & verbis duris & contentiosis, monente ita Apostolo 2. Timoth. 2. 14. *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Et 1. Cor. 11. 16. *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiâ Dei.*

Considerandum est præterea quibuscum disputetur, an sint hæretici valde obstinati, cum quibus non facillè congregiendum est; quia semper id fit inutiliter, uti pulchrè ostendit Tertul. lib. de Præscript. c. 5. *Scripturas, inquit, tales hæretici obtendant; & hæc suâ audaciâ statim quosdam movent, in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.* Ac proinde inutile, imo damnosum est, cum hæreticis obstinatis disputare Unde post pauca subiungit: *Fides nostra obsequium Apostolo debeat, prohibenti*

*hibenti questiones inire, novis vocibus aures accomodare, hæreticum post unicam correptionem convenire, non post disputationem. Adeo interdixit disputationem, correptionem designans causam hæretici conveniendi. Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, nisi planè ut aut stomachi, quis ineat eversionem, aut cerebri.*

Tandem Doctor Angelicus agit de audientibus tales disputationes: Et distinguit inter bene instructos & firmos in fide, & coram illis nullum est periculum. Et inter rudes & simplices, quorum aliqui sollicitati sunt ab hæreticis nitentibus corrumpere in eis fidem. Tunc, inquit, *necessarium est publicè disputare de fide, dummodò inveniatur aliqui ad hoc sufficientes & idonei, qui errores confutare possint.* Per hoc enim simplices in fide firmabuntur, & tolletur infidelibus decipiendi facultas, & ipsa taciturnitas eorum, qui resistere deberent pervertentibus fidei veritatem, esset erroris confirmatio. Vnde Gregorius in 2. Pastoralis c. 4. sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos qui exudiri poterant, in errore derelinquit.

Alii autem sunt simplices qui non sunt sollicitati ab hæreticis de quibus sic protequitur: *In 2. verò casu periculosum est publicè disputare de fide coram simplicibus: Quorum fides ex hoc est firmior, quia nihil diversum audierunt, ab eo quod credant.* Et ideo non expedit eis, ut



verba infidelium audiant disputantium contra  
fidem. Vide Tertull, ubi supra. Ubi etiam  
ostendit quod non sit disputandum cum here-  
ticis ex SS. Scripturis, quia quasdam non reci-  
piunt, & quas recipiunt falsificant, aut in fal-  
sum sensum retorquent. *Quid promovebis*,  
inquit, *exercitatisime Scripturarum*, cum si quid  
defenderis, negetur ex aduerso, si quid negaveris,  
defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vo-  
cem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de  
blasphematione.



TRAC-

## TRACTATUS V.

*De Libris prohibitis.*

## ARTICULUS I.

*Utrum bene ab Ecclesia libri Hæreticorum  
prohibeantur.*



Icet dubitari non debeat, num rectè  
fiat id quod fit ab Ecclesia, Quia ta-  
men multi sunt tepidi Catholici qui  
quoad hoc auctoritatem Ecclesiæ  
videntur parvi facere, dum sine anxietate aut  
scrupulo libros prohibitos passim legunt, ideo  
necesse fuit hanc materiam quoad aliqua dubia  
attingere.

Quam antiqua autem sit cautela vitandi le-  
ctionem pravorum librorum, patet inprimis  
à temporibus Apostolorum Act. 19. v. 19.  
*Multi autem ex eis qui fuerant curiosi sectati,*  
*contulerunt libros & combusserunt coram omni-*  
*bus.* Communiter autem tenetur, libros illos  
fuisse qui de magia agebant, cui erant Ephesi  
valdè addicti, ut refert S. Hieron. in præfat.  
Epist. ad Ephesios.

Præterea in diversis Conciliis combusti  
sunt

sunt libri illis temporibus magis nocivi. In Conc. Niceno mandatum erat ut comburerentur libri Arii. Quod tam efficaciter exequi mandavit Constantinus Imperator, ut poenam capitis tulerit contra illos qui aliquem ex libris Arii occultassent, ut refert Niceph. lib. 8. hist. Eccles. cap. 25. vel 18. ut dicit noster Loth. Similiter ex mandato Theodosii & Valentiniani combusti sunt libri Nestorii, in Conc. Ephesino damnati, ut refertur *l. damnato* c. de hæreticis. Similiter Valentinianus & Marcianus iusserunt comburi libros Eutichetis, damnatos in Conc. Chalced. ut habetur *l. Quicumque*.

Probatum idem ratione: Quia evidens est periculum in lectione librorum hæreticorum, *Qui autem amat periculum in illo peribit.* Eccles. 3. v. 27. nihil autem periculosius potest esse in fide, quam lectio talium librorum, quia scripta magis disposita sunt, & polita, quam verba non præmeditata, & sic libri facilius possunt incautos seducere, & mordere sicut serpens in silentio.

Objicies 1. Licet multa falsa sint in libris hæreticorum, tamen interdum sunt in illis multa vera & docta, ergo non bene propter pauca quæ mala sunt, integri libri prohibentur.

2. Ex illo 1. Thess. 5. v. 20. *Omnia probate, & quod bonum est tenete.* Ac proinde omnes libri legi possunt ut probentur, & si quæ bona continent, retineantur.

Ad 1.

Ad 1. Resp. Tantò periculosiorem esse lectionem librorum hæreticorum, quantò meliora & plausibilia admiscuntur, sic enim faciliè incauti, & indocti discipiuntur, qui comptà latinitate alliciuntur, & sensim seducuntur. Nihil autem tam doctum & eruditum est, quod non abundanter in Catholicorum, maxime antiquorum Patrum, libris inveniatur. Unde bene Cyprianus Epist. 52. *Scias nos nec curiosos esse debere, quid illi doceant, cum foris doceant.*

Ad 2. Resp. Apostolum non debere intelligi de illis quæ manifestè mala sunt, & improbata; sed tantum de dubiis in quibus solis potest esse electio. Priora enim non examinanda amplius sunt, sed rejicienda, postquam semel iudicata sunt.

Dices: Ecclesia admittit lectionem librorum Origenis & Tertulliani, qui tamen multa continent hæretica. Imo S. August. lib. 1. de doct. Christiana cap. 3. vult à studiosis legi librum Ticonii hæretici Donatistæ. Cur ergo libri aliorum hæreticorum non permittuntur? Resp. Libros Origenis & Tertulliani permitti propter antiquitatem, & quia de ipsorum erroribus nullum superest periculum, eò quòd illi satis confutati essent, ita ut postea vix ullus amplius ipsis adhæserit. Et quantum ad librum Ticonii monet quidè August. ut studiosè legatur, quia in illo multa utilia, pauca autè noxia reperiuntur, quæ tamen ipse monet cavere.

I 6

Nec

Nec refert quod non prohibeantur libri Gentilium, & Judæorum, illi enim non amplius multum nocivi sunt, cum passim omnes ipsorum errores abominentur.

## ARTICULUS II.

*An libri hæreticorum sint prohibiti sub pœnâ excommunicationis.*

**P**rima prohibitio lætionis librorum hæreticorum facta fuit à Julio III. Quia licet plures prohibitiones ipsam præcesserint tam in Conciliis quàm ab aliquibus Pontificibus, nunquam tamen generaliter, sed tantùm quoad libros aliquorum hæreticorum. Julius autem III. generali lege lætionem librorum quorumcumque hæreticorum prohibuit, quod idem fecerunt post ipsum Paulus IV. Pius IV. & alij subsequentes. Præcipuè à tempore quodari cœpit Bulla Cœnæ.

Duplex autem hoc tempore est prohibitio, una quæ est in dictâ Bullâ Cœnæ, quæ sic appellatur quia quotannis in die Cœnæ Domini renovatur, & hæc habet Excommunicationem reservatam Pontifici. Altera quæ habetur in indice librorum prohibitorum; quæ quidem imponit Excommunicationem ipsam transgredientibus.

dientibus, non tamen reservatam Pontifici. Ac proinde qui legit libros hæreticos sine licentiâ, in duplicem incidit Excommunicationem, & ab unâ absolvi potest à quolibet confessario; non tamen ab alterâ. Absolutus tamen ab illâ quæ est reservata Pontifici, est consequenter absolutus ab alterâ, non tamen e contra. Fieri etiam potest quod quis incidat in Excommunicationem indicis, quia non tantùm prohibet libros hæreticos, sed etiam alios; & quod non incidat in Excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ non nisi libros hæreticos prohibet.

Ut autem sciatur quomodo Bulla Cœnæ incuratur, præmittenda sunt verba Bullæ quoad hanc prohibitionem: *Ac eorumdem, scilicet hæreticorum, libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostrâ & sedis Apostolica scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quâvis causâ, publicè vel occultè quovis ingenio & colore.* Supple, Excommunicamus; quod præmissum erat.

In quibus involvuntur quatuor quæ requiruntur ut quis Excommunicationem illam incurrat. 1. Ut sint libri hæreticorum. 2. Ut contineant hæresim, aut de Religione tractent. 3. Ut scienter legantur, retineantur, imprimantur aut defendantur. 4. Sine auctoritate, seu licentiâ summi Pontificis.

Defectu 1. Conditionis non incurunt illam Excommunicationem legentes libros Ethnicorum,



corum, aut Judæorum, aut etiam Catholicorum continentes errores; quia illi non sunt libri hæreticorum. Debet etiam constare Auctorem libri esse hæreticum, non tamen ad hunc finem necesse est quod sit nominatim denunciatus.

Defectu 2. Non sunt prohibiti sub eadem pœnâ libri hæreticorum qui non continent hæresim, aut qui de Religione non tractant; alterutrum enim requiritur. Sed hoc posset durum videri, quia si nihil mali contineat liber, quid refert quod scribat de Religione? Aut si in odium hæresis prohibeatur, quia Auctor est hæreticus; cur non similiter prohibentur libri qui non tractant de Religione, nec continent hæreses, Auctores tamen sunt hæretici? Resp. odium hæresis seu Auctoris hæretici maximè locum habere quando scribit de Religione, in qua erravit & à fide deficit, licet in aliquo suo opere, errorem non expresserit, est tamen semper suspectus in illa materia.

Defectu 3. non includuntur qui laborant ignorantia juris aut facti, etiam crassâ, imo & affectatâ, nisi fortè adeo sit temeraria ut moraliter scientia reputetur. Ita Sanchez l. 2. mor. c. 10. n. 38. Lugo de fide disp. 21. n. 104. Pelizar. tom. 2. tract. 6. c. 5. n. 15. Ratio autem est; quia quotiescumque pœna legis imponitur sub his vel similibus verbis. *Qui scienter, temerè, malitiosè, consultò id fecerit, præsumserit, &c.* omnis ignorantia

tia excusat, quia sub talibus verbis lex non solum requirit culpabilem transgressionem, qualis fit per quamcumque ignorantiam vincibilem, sed etiam quemdam contemptum seu contumaciam, quæ non invenitur in eo qui operatur ex aliquâ ignorantia etiam vincibili, imo affectatâ, nisi affectatio omnino temeraria sit modo supra dicto. Videatur Bonac. de Censuris in communi disp. 1. q. 2. p. 1. num. 10. Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 32. n. 33. & in Decal. lib. 6. c. 8. n. 43. Castro Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 1. p. 18. quos citat & sequitur Diana p. 3. tract. 5. resol. 13.

Tunc autem censebitur ignorantia affectata esse temeraria, ita ut sic ignorans moraliter scire præsumatur, quando quis verè dubitat, aut inquisivit à viro fide digno, cui tamen non vult credere aut ulterius inquirere; aut si sit fama publica de prohibitione libri; aut quid simile ratione cuius prudenter tenebatur credere, ipse autem ut liberius legat, non vult credere, & de facto legit.

Quia, ut notat Suarez & Lugo, ad hanc pœnam incurrendam non requiritur evidentia scientiæ, sed satis est testimonium hominis fide digni, publica fama, aut quid simile.

Præterea si quis sciret quidem librum esse prohibitum, non tamen sub Excommunicatione, ipsam non incurreret. Sic Portel. V. Ignorantia n. 21. Suarez de Cens. disp. 4. sect. 9. n. 19. Curiel. 1. 2. q. 76. art. 4. dub. 5. licet

licet etiam illa ignorantia esset mortaliter culpabilis Ita Sanchez ubi sup. de Matrim. n. 31. & Portel. ubi sup. Et hoc quod diximus de Legentibus libros prohibitos, dicendum est de Retinentibus, Imprintentibus & Defendentibus, quia eadem est, & ejusdem tenoris prohibitio.

Circa 4. nihil dicendum est, cum per se pateat, quod habitâ legitimâ licentiâ nulla supersit prohibitio.

Quia tamen circa dictas condiciones nonnullæ supersunt difficultates, hæc decidentur per sequentes articulos.

### ARTICULUS III.

*Virum parvitas materia excuset in lectione libri hæretici ab Excommunicatione.*

**R**esp. Affirmativè: si enim in aliis præceptis Ecclesiasticis excusatur materia parvitas, nihil est quare non similiter excuset in hoc præcepto: Et consequenter à poena lata contra transgressores ipsius: Tamen variæ sunt Doctorum sententiæ pro assignandâ hac parvitate, quæ sic excuset; Difficile autem est circa hoc aliquid certi determinare. Sed prudenter examinanda est in primis persona, & præterea materia quæ in illo libro hæretico tractatur potest

potest enim fieri quoddam præcipuum venenum hærescos lateat in una pagina, aut folio, & similiter una materia quæ scandalosa seu periculosa est uni personæ parvi ingenij, non erit periculosa homini docto. Ac proinde illæ circumstantiæ considerandæ sunt, antequam aliquid certi statuatur. Sicut etiam Theologi in materiâ furti aliquâ gravitatē constituunt respectu pauperis, quæ non esset gravis, sed levis, respectu divitis, cui ablatio illa per furtum parum noceret.

Inquirunt aliqui utrum etiam illa prohibitio intelligatur de brevibus scriptis: ut sunt orationes, conciones, quaestiones, aut etiam Epistolæ.

Suarez sentit esse sufficientem materiam, disp. 20. sect. 2. n. 10. 1. Ratione finis seu motivi. Quia ratio legis etiam in brevibus illis scripturis locum habet propter periculum perversionis, quod etiam inde potest provenire.

2. Quia lex illa lata est in favorem Ecclesiæ, & defensionem fidei Catholicæ, ac proinde censenda est tamquam odiosa, & consequenter strictè intelligenda.

3. Quia orationes seu conciones scriptæ, & similia, non minus habent rationem libri, quam si impressæ essent, tunc autem indubiè essent prohibitæ & contentæ in Bullâ prohibitionis.

Pro resolutione fareor quidem quod libri hæreticorum, licet sint tantum manuscripti & non impressi, in Bullâ Cœnæ comprehendantur, ac proinde legi non possint, tum quia est eadem ratio periculi perversionis, tum quia aliâs facile

facile illuderentur Bullæ Ecclesiæ, passim enim hæretici libros suos non impressos, sed manuscriptos traderent Catholicis ad illos pervertendum. Et tandem etiam, quia in rigore non tantum dicitur liber id quod impressum est, sed etiam id quod scriptum est.

Nihilominus tamen probabiliter teneri potest brevia scripta, v.g. unius orationis latinæ, aut concionis, aut etiam Epistolæ, non comprehendi sub Bullâ Cœnæ. Sic tenet Sanchez lib. 2. Decal. cap. 10. n. 29. Bonac. disp. 2. de cens. q. 5. p. 4. & Souza cap. 2. disp. 13. & alij. Et ratio est, quia Bulla non loquitur nisi de libris hæreticorum; scripta autem talia non possunt in rigore vocari libri.

Ad 1. Arg. Suarez neg. assumptum, quia libri impressi magis divulgantur, & ad plurium manus deveniunt, quàm tales breves tractatus scripti, & diutius permanent quàm isti; præterquam quòd potius judicandum sit secundum verba legis quando clara sunt, quàm secundum finem legis, maximè quando in ipsâ lege non exprimitur.

Ad 2. Esto, quòd lex illa lata sit in favorem fidei Catholicæ, non tamen inde sequitur quod censi debeat odiosa, alioquin lex pœnalis lata contra latrones, esset etiam odiosa, quia lata est in favorem Reipub. & boni communis, & pro defensione innocentium. Ad dignoscendam ergo legem odiosam à favorabili, consideranda est materia proxima; si enim hæc gra-

gravamen contineat, censenda est lex odiosa, quod hic fit, quia satis magnum gravamen est quòd nemo, etiamsi sit vir doctus, libros hæreticos possit legere.

Ad 3. Resp. Quod talia scripta prohibita sint quæ per se librum aut magnam partem libri conficiunt: non verò quando non possunt haberi pro vero libro. Si dicas quod pars libri impressi divisa à libro maneat prohibita, licet non conficiat librum, Resp. Quod maneat semper pars libri; cum igitur liber sit prohibitus, etiam prohibita erit notabilis pars ipsius, licet sit ab ipso libro divisa. alia verò scripta neque in ratione totius, neque in ratione partis libri nomine possunt appellari. Addendum tamè, quod licet non ratione bullæ, ratione tamen naturali aliquando prohibita sunt brevia scripta v. g. concio hæretica propter periculum.

## ARTICULUS IV.

*An censeantur prohibiti libri unam tantum hæresim per transennam continentés.*

**R** Esp. Affirmativè. Illi enim libri sunt hæreticorum, hæresim continentés; qui expressis verbis in bullâ sub pœna Excommunicationis

nicationis prohibentur; nec refert quod reli-  
 qua materia, & quæ per se intenditur, sit pro-  
 fana: non enim requiritur quod ex professo de  
 hæresi tractent, ( sicut hoc dicitur de reli-  
 gione ) sed satis est quod habeant Auctorem  
 hæreticum, & hæresim contineant. Imo hoc  
 aliquando est periculosus, si reliqua materia  
 sit docta & utilis, aut saltem placens le-  
 ctoribus; sic enim etiam facilius placent  
 reliqua quæ simul inferuntur, & sic mordet si-  
 cut coluber in occulto, & quanto latentius;  
 tanto periculosius venenum imbibitur. Sic  
 etiam tenent Suarez de cens. disp. 21. sect. 2.  
 n. 10. Sanchez lib 2. c. 10. n. 34. Layman  
 lib 2. cap 15. tract. 1. n. 4. & alii. Contra  
 Sayrum.

## ARTICULUS V.

*Quinam Libri censeantur ex professo tra-  
 ctare de Religione.*

**Q**uia Bulla Cœnæ exprimit etiam Libros,  
 ex professo scriptos de Religione, necesse  
 est explicare quid ad hoc requiratur.

Tractare de Religione est agere de doctri-  
 nâ Sacrà, exponendo S. Scripturam, aut Scho-  
 lasticam Theologiam aut Moralem, hoc est  
 agere de rebus & mysteriis fidei, de cultu Dei

& Sanctorum, de recta morum institutione,  
 sive de iis quæ ad salutem animarum pertinent;  
 aut de illis quæ sunt his contraria. Sic passim  
 tenent Doctores; Sanchez ubi supra, etiam  
 adjungit tractatum de Clericis & Monachis,  
 quia contra ipsos scribi solet ab hæreticis in  
 odium fidei seu Ecclesiæ. Adde etiam libros  
 agentes de ritibus Ecclesiæ, & de interpreta-  
 tione Epistolarum Pontificiarum. Et Juris Ca-  
 nonici, non tamen Juris civilis, licet illam  
 materiam etiam annumeret Hurtado; non vi-  
 deo tamen quofundamento.

Non sufficit autem quod de religione, mo-  
 do jam dicto, tractavit; sed requiritur quod  
 hoc fiat *ex professo*. Quod tamen non ita in-  
 telligitur, quasi totus liber de religione agat,  
 sufficit enim quod sic tractet in aliqua sui par-  
 te notabili, allatis fundamentis, auctoritatibus  
 & similibus, ut moraliter judicari possit, quod  
 non obiter tantum, sed ex professo de religio-  
 ne agatur.

Et hæc est differentia inter libros continen-  
 tes hæresim, quod sufficiat, licet hoc tantum  
 obiter fiat, uti supra dictum fuit. Et tractantes  
 de Religione, ubi non sufficit quod tantum  
 obiter fiat, sed ex professo.

## ARTICULUS VI.

*Utrum bulla non tantum comprehendat legentes, sed etiam audientes legi.*

**M**ulti sunt qui resolvunt negativè, ita Sanchez lib. 2. sum. c. 10. n. 48. & Loth tract. 13. q. 2. a. 3. In tantum etiam, ut licet aliquis sibi petierit aut mandaverit prælegi librum hæreticum, ab excommunicatione sit immunis, eò quòd audire non sit legere; cum igitur tantum exprimat lectio & non auditio, videtur quòd audientes non involvantur; in pœnabilibus enim lex non admittit extensionem, sed in stricto sensu intelligenda est.

Sylvius sententiæ Sanchez, ut probabiliori subscribit quoad unam partem, non autem quoad secundam, scilicet si quis voluerit sibi talem librum legi. Ita etiam Suarez de fide disp. 22. sect. 2. num. 19. Et Layman lib. 2. tract. 7. c. 15. n. 6. Qui hoc probat: qui mandat v. g. famulo ut sibi librum hæreticum prælegat, moraliter æstimando, ipsemet legit; quod enim quis per alium facit, perinde est ac si ipsemet faciat, juxta regulam 72. in 6. *Qui facit per alium est perinde ac si faciat per seipsum.*

Et si objicias cum Sanchez: Censura lata contra facientes, non comprehendit mandantes,

tes, nisi exprimantur, cum lex pœnalis strictè interpretanda sit. Resp. Quòd non sit recurrendum ad strictam interpretationem, cum de mente legislatoris rationabiliter dubitari non potest; non potest autem dubitari quin Summi Pontifices intenderint etiam sic audientes comprehendere, alioquin quilibet in fraudem legis facere posset, & sic facillimè excommunicationem effugere si hæreticos auctores sibi faceret prælegi; quod esset legem hanc inutilem reddere.

P. Suarez (qui non tantum vult comprehendere hæc censuram audientes, quia sibi tales libros prælegi faciunt, sed etiam simpliciter ad lectionem auscultantes, licet non fuerint causa lectionis) aliam rationem adducit quæ contrarium fundamentum omnino eludit: Fatetur enim quòd verba Bullæ de legentibus strictè sint interpretanda, sed dicit audientem ab alio legi aliquem librum, simpliciter & rigore legere, non tantum moraliter, sed physicè, quòd sic probat: lectio partim consistit in prolatione verborum, partim in perceptione eorù quæ scripta sunt, & revera actio legendi consummatur in perceptione; audiens autem legi librum hæreticum percipit ea quæ leguntur, & sic quasi in se consummat illam actionem, ac proinde non tantum legit per alium, sed per seipsum. Quo fundamento convincitur, quòd etiam simpliciter sine mandato aut aliqua cooperatione, auscultans ad lectionem

nem libri hæretici excommunicationem incurrat. Sed hoc satis durum apparet, ac proinde tenendum non cum prima sententia quæ est Sanchez, nec cum hæc ultimâ, sed cum mediâ, videl. quod is qui alterum inducit ad legendum librum hæreticum ut ipse audiat, incidat in præfatam censuram, non verò qui non induxit.

## ARTICULUS VII.

*Virum facultatem habens legendi libros hæreticos, possit illos ex solâ curiositate legere.*

**T**Ota difficultas procedit ex formâ talis facultatis, in quâ semper inseritur quod detur ad salutem animarum, & ad effectum hereses & errores redarguendi & confutandi. Quæ verba videntur inferre hanc restrictionem, videl. quod illa facultas ad hoc solùm detur. Ex quo videtur sequi, quod si quis aliter utatur dictâ facultate, illâ abutatur, & consequenter non poterit ullum patrocinium habere ex illa facultate. Sicut si quis famulo suo concederet licentiam administrandi aliqua bonâ suâ, ad effectum tamen succurrendi pauperibus, si iste famulus non sequeretur intentionem Domini

Domini sui, sed bona illa dilapidaret, & tantùm impenderet gulositati suæ; ad restitutionem sine dubio teneretur, aut faciendam suo Domino, aut saltem pauperibus, Idem videtur esse in casu quæstioni nostri, si quis uteretur facultate legendi libros hæreticos, non ad effectum confutandi hæreses qui à Pontifice intenditur, & in Bullâ exprimitur, sed pro suâ curiositate, aut ob elegantiam styli aut historiarum quæ illis libris inseruntur

Dico tamen 1. peccaret graviter qui uteretur passim facultate legendi libros hæreticos; ex solâ curiositate. Et illam solam intenderet.

Prob. 1. Subditus debet quantum potest conformare se intentioni seu fini intento à legislatore, ergo multò magis habens dispensationem intentioni dispensantis. Ant. Prob. quia vita legis est finis ejus: lex enim quodammodo medium est ad illum finem habendum, quem legislator debet intendere; unde sicut perversè ageret qui medium ad aliquem bonam finem directum, inde averteret ad alium finem, qui non habet veram aliquam bonitatem, ita qui usum legis avertit à bono communi quod à lege respicitur: Prima autem consequentia probatur, tum quia nomen dispensandi hoc videtur significare, tum etiam quia dispensatio in hoc consistit, quod sit exemptio à lege communi, propter aliquod speciale bonum. Peccat igitur non utens facultate

rate suâ ad intentionem dispensantis. Quod tamen non sic debet intelligi quod in omni usu talis facultatis, sic debeat intendere, sed quod præcipuus scopus sit confutatio errorum, licet interdum solâ curiositate feratur, sic enim erit veniale tantum, sicut omnis vana curiositas est.

Dico 2. Non incurreret censuram, qui tantum intenderet curiositatem in legendis libris hæreticis.

Prob. Quando legislator aut dispensator sic includit in sua dispensatione finem à se intentum, ut sine tali intentione totum irritum esset, hoc in Bulla ipsa exprimitur, hac vel simili limitatione, *Aliàs non. Secus totum erit irritum & inane.* Hoc autem non fit in forma quâ datur facultas legendi libros prohibitos.

2. Ille finis qui exprimitur, videlicet ad effectum confutationis hæresis; non est finis intrinsecus dispensationis seu bullæ dispensative, sed tantum extrinsecus, defectu cuius actio non redditur nulla seu irrita, finis autem proximus, sive finis operis est eximere personam à communi lege, quæ intentio requiritur, & in Bulla exprimitur: alius autem finis extrinsecus potius est ad rectum usum facultatis seu dispensationis quam ad ipsam facultatem seu dispensationem; ac proinde licet peccet qui malè utitur hac facultate sibi traditâ, quia tamen validè utitur non incurrit censuram Bullæ Cœnæ.

Et sic patet ad 1. quòd illa verba cum exprimant finem extrinsecum, non restringunt facultatem, sed dirigunt usum facultatis.

Ad exemplum de famulo, Resp. disparitatem esse in ipso opere: eleëmofyna enim per se respicit pauperes, pro quorum necessitate levanda expresse datur, ac proinde invalidè aliis rebus impenditur, Facultas autem legendi libros prohibitos non involvit intrinsecè conversionem, aut confutationem errorum hæreticorum.

## ARTICULUS VIII.

*Qualis retentio librorum hæreticorum prohibeatur in Bulla Cœnæ Domini.*

Certum est incurri censuram Bullæ Cœnæ, si quis hæreticorum libros retineat, sive apud se sive apud alios; sive nomine suo, sive alieno; sive ut ipse legat, sive ut bibliothecam suam exornet. Licet etiam ut hæreticorum errores confutet, quando non habet licentiam. Tametsi retinens non intelligat idioma, quo tales libri conscripti sunt, quia finis prohibitionis est odium hæresis, ut facilius ipsorum libri exterminentur, præterquam quod facillè venire possent ad ma-



Per hoc enim sufficienter satisfit fini & intentioni Pontificis, ne libri illi veniant ad manus illorum quibus non est licitum ipsos legere; & si permittatur monasteriis (uti in omnibus fit) conservare in isto loco, qui Infernus dicitur, alios libros hæreticos, non est ratio cur non reponantur etiam illi quos aliquis Religiosus ad usum habuit. Imo non video quid obstat cur non satisfaciatur etiam persona non Religiosa, si libros hæreticos & alios prohibitos quos habet ibi reponat.

## ARTICULUS IX.

*Quinam sint defendentes, qui in Bullâ  
Censæ exprimentur*

**C**ertum est illos censuris Bullæ involvi, qui quomodolibet, ex quavis causa, publicè vel occultè, & quovis colore libros hæreticos hæreses continentes, aut de Religione tractantes defendunt, quia hoc factis in ipsa Bullâ exprimitur. Comprehenduntur ergo illi qui dicunt illos malè prohiberi, & qui impediunt ne ad manus Inquisitorum, aut Ordinariorum reponantur, aut saltem ne tradantur locis sequestratis in Bibliothecis Religiosorum. Et multò magis qui talium librorum fundamenta approbant,

probant, ac si verè convincant in materia hæresis. Et qui componunt apologias pro illorum librorum defensione, licet etiam secretò nemini ostendendo, Non tamen illi qui ipsum auctorem laudarent de ingenio, stylo aut eloquentiâ; dummodo non laudarent in quantum est hæreticus.

Inquires: Quid dicendum sit si quis tantùm disputationis, aut majoris inquisitionis gratiâ aliqua argumenta proponat. Resp. Quod hoc ex intentione & circumstantiis pensandum sit. Si enim hoc faciat dum est in dispositione ut ad fidem Catholicam se convertat, nulla est difficultas, cum laudabile sit, ut omnia bene discutiatur, ut tanto firmiter se convertat. Si autem Catholicus sit & pravo animo, vel ex respectu Auctoris id faciat, verè inter defendentes erit computandus.

## ARTICULUS X.

*Virum in locis missionis, liceat quibus-  
cumque legere Biblia in linguâ  
vulgari.*

**I**N indice librorum prohibitorum edito jussu pij IV. regulâ 4. hoc est expressè prohibitum; & committitur Inquisitori aut Episcopo

copo (ubi non sunt Inquisitores) ut cum consilio Parochi, vel confessori concedatur hoc aliquibus quibus id utile judicaverint. Licet autem hæretici hanc prohibitionem graviter improbent, quasi Ecclesia injustè privet populum, Latinæ & Græcæ linguæ ignarum, lectione S. Scripturæ, quæ tamen deberet omnibus commendari. Meritò tamen hoc prohibetur præcipuè rudioribus, quibus illa lectio non utilis sed nociva esse solet. Nihilominus illis permittitur ex Parochorum consilio, quibus illa lectio judicatur utilis futura. Prohibetur autem non propter ipsam S. Scripturam, cujus lectio ex se bona est, sed propter infirmitatem malè intelligentium, aut ex malitiâ abutentium; & hoc exprimit Pontifex præfatus, quia experimento manifestum est promiscuam lectionem in vulgari linguâ ob hominum rudium temeritatem plus detrimenti, quàm utilitatis adferre. Et hoc conforme est Epistolæ 2. Petri 3. v. 16. ubi dicit de Epistolis Apostoli Pauli: *In quibus sunt quadam difficultia intellectu que indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Ideo etiam Apostolus 1. Cor. 12. distinguit gratias gratis datas, & quod uni quidem detur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii interpretatio sermonum. Ac proinde non omnibus credenda est illa interpretatio, aut S. Scripturæ intellectio, sed quibus hoc per Ecclesiam conceditur, videlicet doctioribus.

S. Au-

S. August. lib. 1. de morib. Ecclesiæ cap. 1. vult intelligentiam S. Scripturæ peti à Doctioribus: *Quis, inquit, mediocriter sanus non intelligat Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum Doctores se esse profitentur?* Refert etiam Rufinus de SS. Doctoribus Basilio & Nazianzeno: *In monasterio per annos tredecim, omnibus Græcorum secularium libris remotis, solis Scripturæ Divinæ voluminibus operam dederunt, eorumq; sensum non ex suo cerebro, sed ex majorum scriptis & auctoritate hauserunt, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam accepisse constabat.*

Quis igitur non improbet, S. Scripturæ lectionem omnibus rudibus & indoctis hominibus concedere, pro cujus intellectu tanti Doctores tot annos insudârunt, ut verum sensum non ex proprio cerebro sed majorum scriptis & auctoritate eruerent? Aprè huc faciet S. Hieronymus in Epist. ad Paulinum, ubi etiam suo tempore promiscuam hanc lectionem S. Scripturæ improbat his verbis: *Sola Scripturarum arsest quam sibi passim omnes vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi presumunt, lacerant, donec antequam discant. Quàm hoc verum sit inter hæreticos satis est manifestum. Ubi omnes cujuscumque conditionis, pueri, mulierculæ, ancillæ, & quæcumque rudes personæ*

K 5

pro

pro suo captu Biblia Sacra legunt & pervolvunt, ipsos etiam pseudoministros interdum confundentes. Et inde tot non tantum diversarum hæresum, sed intra eandem familiam tanta opinionum diversitas.

Nec ideo privantur utilitate Sacræ doctrinæ Scripturarum, quia sufficienter à Pastoribus & Concionatoribus illa proponuntur, quæ ipsis necessaria sunt, imo utilia tam ad fidem, quam ad mores, qui ideo dentes dicuntur Ecclesiæ, ut Sacras Scripturas quodammodo masticent, & rudi populo pro sua capacitate in sermonibus suis ingerant.

Notat verò Marchantius Tomo 2. tract. 2. tit. 2. sect. 4. q. 3. dub. 6. & ex ipso Loth tract. 13. q. 2. art. 8. sub finem, quod in multis locis Belgij consuetudo jam invaluit, quod honestis, ac prudentibus personis sæcularibus Bibliorum lectio permittatur, d simulatione potius quam concessâ licentiâ, nec in hoc ab Ordinariis contradicitur. Quod magis adhuc est in usu in locis missionum. Advigilandum tamen ne quis hæc consuetudine abutatur. Iudico verò id non facile fieri debere sine consensu Pastorum aut Missionariorum, qui in illis partibus videntur facultatibus Pastoralibus. Examinanda autem ab ipsis sunt Biblia, quibus utuntur ne corrupta sint. Nec illa facultas facile concedenda, nisi iis de quibus præsumi non potest, quòd venenum inde haurient, unde salutem haurire deberent. Nec Sacri illi libri legendi sunt

sunt ex vanâ curiositate, sed ad instructionem.

Præterea accuratè advertenda est prohibitio Conc. Trid. ne quis verbis S. Scripturæ ad profanos sensus detorqueat. Ita prohibet severissimè sess. 4. sub finem.

## ARTICULUS II.

*An passim permitti possit lectio controversarum in vulgari idiomate.*

**E**Videns est quòd talis lectio multis sit perniciosa, maximè illis qui simplicioris sunt ingenij, aut qui non satis firmi sunt in fide; Aut etiam qui feruntur periculosâ curiositate attendentes potius quid hæreticus proponat, quam quid scriptor Catholicus resolvat aut respondeat.

Nihilominus in locis vicinioribus hæreticis & præcipuè inter ipsos hæreticos sæpè utiliter conceditur talis lectio, ut Catholici indermentur contra venenosas versutias hæreticorum, qui passim in quibuscumque conversationibus clamorosis verbis, multa contra Catholicam fidem effutiunt; non ut inde accipiant occasionem cum ipsis disputandi de quo supra tract. 4. art. 15 Sed ut auferatur ab hæ-

reticis occasio nimis insultandi & suâ verborum firate decipiendi, dum ipsorum fallitas ab intelligentibus manifestatur.

Tandem etiam videant talium controversiarum scriptores præcipuè lingua vulgari, ut cautè hæreticorum argumenta proponant, ne simplices homines illorum solutiones non factis capientes, pervertantur potius, quàm in fide instruantur, ac proinde omnium captui se conforment.



TRAC-

## TRACTATUS VI.

*De Baptismo.*

## ARTICULUS I.

*Virum baptizati ab hæreticis sine rebaptizandi.*



Ntiqua circa hanc quæstionem olim fuit in Ecclesiâ controversia, quæ incepit circa annum Domini 217. teste Spondano ibi num. 1.

Quando quidam Agripinus Carthagenensis Episcopus prætextu quodam pietatis, iudicabat quòd Ecclesia abominari deberet omnia quæ erant hæreticorum, Et collecto Concilio Episcoporum quorundam ex Asiâ & Numidiâ, cum ipsis Canonem ordinavit de iterando hæreticorum Baptismate cum ad Ecclesiam redirent. Eandem postea sententiam secutus est Tertullianus de Bapt. cap. 14. qui putatur eodem tempore vixisse.

Maximas tamen error iste vires cœpit tempore S. Cypriani circa an. 258. occasione Novatianorum & Cataphrygum, qui eos quos ab Ecclesiâ Catholica divellebant, tamquam

immundos rebaptizabant. Unde provocati quidam Episcopi Catholici, censuerunt eos qui ab hæresi ad fidem Catholicam reverterentur denuò esse baptizandos, rati non nisi in Ecclesiâ Catholicâ verum baptisma inveniri.

Inde cœpit idem error prorere in Africanam Ecclesiam, in quâ ipse S. Cyprianus vehementissimo hæreticorum odio secutus est sententiam Agripini Episcopi & Tertulliani quem suum solebat vocare magistrum. Episcopi igitur Africani unâ cum Sancto Cypriano Synodum cœgerunt Carthagine, in quâ rursus determinatum fuit non nisi in Ecclesiâ Catholicâ esse verum baptismum, ideoque eos qui ab hæreticis & scismaticis convertebantur rebaptizari debere. Quod ut magis roboraretur, Cyprianns copiosorem Conventum cœgit, nempe 71. Episcoporum, tam ex Africa, quàm ex Numidia, in quod idem unanimiter fuit conclusum. Sed quia deerat Auctoritas sedis Apostolicæ, in quâ tunc sedebat Stephanus Papa, placuit omnibus per Synodicam Epistolam totum ad ipsum deferre. Qui re bene examinatâ contrarium diffinivit, videlicet quod hæretici validè possint baptizare, manus imponere, & ordinare: Et tamen adhuc videretur Cyprianus reluctari, tandem tam ipse, quàm Firmilianus ejusdem erroris maximus propugnator, se S. Sedis definitioni submitit, & cum ipsis omnes ferè Africani Episcopi, qui, teste Hieronymo con-

tra Luciferianos, contrarium illi quod antea secuti fuerant decretum ediderunt, rescissâ priori suâ determinatione.

S. Cyprianum excusat etiam S. August. Epist. 41. ad Vincent, & de Bapt. contra Donatistas lib. 2. c. 4. : & certò constat ipsum in eadem cum Ecclesia Romana unitate usque ad martyrium perstitisse, & semper mirificis præconiis post mortem ab omnibus Patribus fuisse celebratum.

Inde autem in Ecclesia constantissimè perseveravit sententia quòd Baptismus ab hæreticis collatus (nisi aliud obster) ratur sit & omnino validus. Soli verò Donatistæ pertinaciter priori errori adhæserunt, & propter hoc acriter à S. Augustino ubi supra, impugnati fuerunt.

Pro majori propositæ quæstionis resolutione, pluribus titulis de illa posset dubitari 1. Utrum fides ministri sit de necessitate Sacramenti, quod si esset, citra omne dubium Baptismus ab hæreticis collatus esset invalidus. 2. Utrum hæretici habeant debitam intentionem. 3. Utrum utantur modo sufficienti & non contrario institutioni Sacramenti Baptismi. De 2. & 3. agetur infra. Tantum hîc agimus de primo, secundum quem modum processit decretum seu definitio Stephani Pontificis.

S. Thomas 3. p. q. 64. a. 9. Expressè hoc inquit, & sic resolvit: *Quia minister in Sa-*

*cramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi, sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis, charitas, ita & fides. Unde sicut non requiritur ad perfectionem Sacramenti quod minister sit in charitate, sed possunt etiam peccatores Sacramenta conferre, ita non requiritur ad perfectionem Sacramenti, fides eius. Sed infidelis potest verum Sacramentum præbere, dummodo cetera adsint, quæ sunt de necessitate Sacramenti.*

Objicies tamen 1. Extra Ecclesiam non est salus, sed hæretici sunt extra Ecclesiam, ergo ab ipsis non potest conferri Baptismus, qui est Sacramentum salutis.

Resp. Licet hæreticus minister sit extra Ecclesiam, non tamen is qui ab ipso suscipit Sacramentum consequitur salutem extra Ecclesiam, eo quod suscipiat Sacramentum Ecclesiæ, licet collatum ab eo qui est extra Ecclesiam.

Objicies 2. verba S. Ambrosii. lib. de iis qui mysteriis initiantur c. 4. circa med. *Est enim in aliquibus aqua mendax, non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.* Resp. Ex illis verbis tantum colligi non licere adulto suscipere baptismum ab hæretico propter Excommunicationem, & ideo, inquit S. Th. ubi supra ad 3. *Sacramentum quidem confert, scilicet hæreticus, sed peccat conferendo, & similiter ille qui ab eo accipit Sacramentum; & sic non percipit rem Sacramenti, scilicet gratiam mundan-*  
tam,

tem nisi fortè per ignorantiam excusetur.

## ARTICULUS II.

*An Baptismus collatus ab hæreticis sit invalidus defectu debite intentionis.*

**Q**Uod intentio ministri requiratur in collatione cujuscumque Sacramenti, est certum. De quo agit S. Thom. 3. p. q. 64. a. 8. *Quia, inquit, ea quæ in Sacramentis aguntur possunt diversimodè agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari & ad mundiciam corporalem & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia hujusmodi, & ideo oportet quod determinetur ad unum.* Et ne dicatur, quod actio instrumenti non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis, qui in Sacramentis est Christus Dominus, quæ ratione præcedenti articulo ex eodem S. Dôctore probavimus fidem ministri non requiri ad validitatem baptismi. Ipse respondet ad 1. dando differentiam inter instrumenta inanimata & animata, videl. *Quod instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus,*  
sed

*sed loco intentionis est motus, quo movetur à principali agente. Sed instrumentum animatum (sicut est minister) non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, in quantum suâ voluntate movet membra ad operandum Et ideo requiritur ejus intentio, quâ se subjiciat principali agenti*

Inquirendum ergo est qualis intentio ad valorem Baptismi, & aliorum Sacramentorum requiratur. Quod S. Doctor resolvit verbis immediatè sequētibus, ut scilicet intendat facere quod facit Christus & Ecclesia. Quod etiam exprimitur clarè in Concilio Florentino, quod decernit Sacramenta perfici personâ Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Baptizans enim cum sit Minister Christi, per Ecclesiam operari debet & secundùm intentionem Ecclesiæ.

Sed hinc alia & præcipua difficultas exurgit, quidnam sit intendere facere quod facit Ecclesia. Si enim hoc intelligi debeat de vera Ecclesia Catholica, quæ est Romana, nullus hæreticus habebit debitam intentionem, cum hoc ipso quòd hæreticus sit, non credat Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, quam proinde abominatur. Tum etiam, quia moderni hæretici non credunt per baptismum tolli peccatum originâle, sed vel illud non admittunt, vel saltem sustinent hoc Sacramentum tantùm esse signum ablationis peccati originâlis.

Resp.

Resp. Quòd non sit alia intentio Ecclesiæ Catholicæ, quàm intentio Christi, in conferendo aut conficiendo Sacramenta. Licet igitur hæreticus non agnoscat Ecclesiam Catholicam ut veram, imò ipsam abominetur, & consequenter nolit suam intentionem illi Ecclesiæ ut tali conformare; per hoc tamen quod intendat facere quod Christus instituit, virtualiter habet eandem intentionem, quam habet etiam vera Ecclesia Catholica, quæ est Romana. Multò minus obest alius error, quod per Baptismum non tollatur peccatum originâle; quia enim minister in Sacramentis instrumentaliter tantùm operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi, qui est causa principalis. Ideo quidquid credat baptizans de effectu hujus Sacramenti, ipsum validè confert, si adsint cætera. Quod declarat S. Thomas ubi supra art. 9. ad. 1. *Non obstante infidelitate potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet asserat id nihil esse, & talis intentio sufficit ad Sacramentum, quia sicut dictum est, minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, ex cujus fide suppletur id quod deest fidei ministri.* Et sic etiam sufficit intendere baptizare secundùm intentionem & institutionem Christi.

ARTI-

## ARTICULUS III.

*Virum aliquando iterandum sit baptismus,  
sub conditione.*

**D**E hoc agit S. Thomas 3. p. q. 66. a. 9. ubi docet numquam baptizatum esse rebaptizandum absolute. 1. Quia Baptismus est spiritualis regeneratio, unius autem non est nisi una generatio. 2. Quia per Baptismum in morte Christi baptizamur, secundum illud Rom. 6. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*, per quam mortem morimur peccato, & resurgimus in novitate vitæ; Christus autem semel tantum mortuus est. 3. Quia Baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, & cum quadam consecratione datur: unde sicut aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesiâ ita nec Baptismus. 4. Quia Baptismus principaliter datur contra originale peccatum, unde sicut ipsum non iteratur, ita etiam nec Baptismus.

In solutione tamen ad 3. admittit hæreticos Paulianitas & Cataphygas, si ad fidem Catholicam convertantur, esse rebaptizandos; conformiter ad Conc. Nicenum 1. Can. 19. eo quod non Baptizent in nomine SS. Trinitatis.

Quo-

Quotiescumque igitur nullum omnino est dubium de validitate grave esset peccatum sacrilegij Baptismum iterare, nullum autem conferri debet esse dubium de eo quod moraliter certum est. Et tunc ne quidem sub conditione potest iterari, quia sic moraliter censetur rebaptizari. Moralis autem certitudo haberi potest ex testimonio saltem unius fide digni, ut colligi potest ex c. *Parvulos* de Consec. ubi dicitur: *Parvulos qui à parentibus substracti sunt, & an baptizati sint, an non, ignoratur; ut hos baptizare debeas secundum Patrum traditiones, si non fuerit qui testificetur, ratio possit.* Et c. placuit immediate subsequenti ex Conc. Carthag. v. placuit de infantibus: *Quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos sine dubitatione esse testentur, neque ipsi sunt per auctorem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari.* Tunc ergo poterit baptismus absolute conferri; sicut etiam quando moraliter est certum baptismum fuisse invalidum, sive ratione materiæ, ut si collatus fuerit per aquam rosaceam, aut aliquem alium liquorem distinctum ab aquâ naturali, sive ratione formæ non debite prolatae.

Sub conditione autem iterari debet quando est justa ratio dubitandi de validâ collatione. Quod innuitur in cap. *veniens* de Presbytero non baptizato, ubi dicitur non *inteli-*

intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum. Iusta autem ratio dubitandi est, quando parentes aut tutores, aut quorum intererat, & qui rem scire potuerant non recordantur, aut prudenter dubitant de Baptismo validè collato. Aut licet constet de actu externo, cum fundamento dubitant, an certa aut tuta forma sit adhibita. Videt. si baptizans usus sit hac forma: Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque, vel simili aliâ dubiâ.

Quando autem sub conditione iteratur; ordinavit Alexander III ut habetur c. de quibus, hunc modum: *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis: si baptizatus es, ego non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Ubi tamen abest scandalum, non opus est illa verba exterius proferre, sed sufficit ea interius intendere. Quando tamen publicè hoc fieret, conditio ista exterius exprimenda esset, ut omnibus pateat quòd non absolutè, sed sub conditione tantùm baptismus iteretur.

Difficultas ista magis urgeri potest circa baptismum modernorù hæreticorum. Eo quod Synodus 2. Mechlinientis 1608 tit. 2. de Baptismo cap. 6. sic decernit: *Quia frequens experientia docet, modernos hæreticos: sæpe contra receptam Ecclesiæ consuetudinem, & antiquissimam traditionem baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipsam pronuntiante,*

ab

*ab hæreticis (qui non sunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præsto est) baptizati, similiter sub conditione baptizentur.* Et idem mandatur in Pastoralis ejusdem Diocesis.

Licet igitur superius art. 1. dixerimus baptizatos ab hæreticis non esse denuo baptizandos, tamen expressè addidimus, nisi aliquid aliud obstat, sicut in prædictâ Synodo opponitur id quod verè obstat, videlicet si uno aquam fundente, alius formam proferat; in quo casu forma falsa est, quia Minister formam proferens falso dicit se baptizare cum non ipse, sed aquam infundens verè abluat seu baptizet. Sic etiam resolvit S. Thomas 3. p. q. 66. art. 5. 4. *Si duo convenirent, quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, & alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum.* In illis autem casibus non tantùm sub conditione, sicut quando dubium est, sed absolutè ita baptizatus baptizandus esset, quia certum est talem baptismum invalidum esse. Quia verò jam non amplius solet apud hæreticos, aut rarissimè talis modus observari, non debet facilè baptismus reiterari sub conditione, nisi aliquid aliud simile obstiterit.

## ARTICULUS IV.

*Qualis ablutio requiratur.*

**D**iversi fuerunt in Ecclesia modi observati in ablutione Baptismi, aliquando enim totum corpus abluetur, ita ut possit in Sacro Fonte aut mergentur, aut toto corpore perfunderentur qui baptizandi erant, uti refertur c. *Prima* de consecr. ex S. August. ad Neophytos: *In hoc ergo Fonte antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus, Credis? &c.* & hoc modo creditur baptizatus Constantinus Magnus à S. Sylvestro Papa. Et iste modus adhuc in multis locis observatur.

Aliquando autem fiebat ablutio per trinam immersionem, ut habetur c. *si quis* de consecr. ubi mandatur Presbyter aut Episcopus deponi, qui non trinam immersionem unius mysterii celebrabat, sed semel mergebat in Baptismate Et similiter decernitur ibidem in sequentibus c. *de Trina* & c. *eodem modo*.

Interdum verò in usu erat unica mersio, uti habetur c. *propter vitandum*, ubi ex Zachar. Pap. sic dicitur: *Propter vitandum Schismatis scandalum, vel heretici dogmatis usum, simplicem teneamus Baptismatis immersionem.*

Rationem autem hujus diversitatis assignat S. Thomas 3. p. q. 66. a. 8. in corp. *In prin-*

*Principio nascentis Ecclesia quidam de Trinitate malè sentiebant, Christum purum hominem esse asserentes, nec dici filium Dei, & Deum, nisi propter meritum ejus quod præcipuè fuit in morte, ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis Christi, & una immersione, quod reprobatum fuit in primitivâ Ecclesiâ &c.* Postmodum verò inolevit quorundam Scismaticorum & hereticorum error, homines rebaptizantium, sicut de Donatistis Augustinus Narrat super Joannem tract. 11. Ideo in detestationem erroris eorum fuit statutum in Concilio Toletano. 4. Can. 5 quod fieret una immersio. Et statim infra: *Sed cessante tali causâ communiter observatur in baptismo trina immersio.*

Quandoque autem non per immersionem, sed per asperisionem vel effusionem: De quâ S. Thomas ibid. art. 7. *Quamvis*, inquit, tutius sit baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus (scilicet tempore ipsius) potest tamen fieri baptismus per modum asperisionis, vel etiam per modum effusionis, secundum illud Ezech. 36 effundam super vos aquam mundam: sicut S. Laurentius legitur baptizasse. Et præcipuè propter necessitatem, vel quia est magna multitudo baptizandorum, ut patet Act. 2. & 4, ubi dicitur quod crediderunt unâ die tria millia, & aliâ die quinque millia. Quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquæ, vel propter debilitatem ministri qui non potest sustentare baptizandum, vel propter debi-



*debilitatem baptizandi cui posset imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendum est quod immersio non est de necessitate Baptismi.* Servanda tamen in hoc praxis Ecclesiæ in qua Baptismus confertur.

Superest jam difficultas de asperzione, quanta illa esse debeat, ut sufficiat, motus autem sui hoc specialiter tangere propter aliquos hæreticos ministris, qui tam leviter caput baptizandi aspergunt, ut aliquando unica sola gutta ipsum tingat.

Certum autem debet esse quòd tanta requiratur aspergio, ut vera ablutio censei possit, alioquin non verificaretur forma; Baptizo enim latine idem est quod abluto. Et ideo omnes Theologi asserunt proximam materiam hujus Sacramenti esse abluionem, remotam verò aquam naturalem. Quod autem possit Baptismus conferri per infusionem imò solam asperzionem clarè docet S. Thomas ubi sup. art. 7 ubi dicit: *Aqua assumitur in Sacramento Baptismi ad usum corporalis abluionis, per quam significatur interior ablutio peccatorum, ablutio autem fieri potest per aquam non solum per modum immersionis sed etiam per modum asperzionis vel effusionis.*

Sed quia jam specialiter loquimur de asperzione, quæritur utrùm quæcumque etiam minima aquæ aspergio sufficiat, etià unius guttæ.

Vasquez affirmat ad q. 66. a. 3. c. 4. n. 32. & se fundat 1. in cap. *Debitum* de Baptismo (quod

(quod dicit esse Innocentij IV cùm tamen sit Innocentij III.) In isto autem capite nihil planè de hoc tangitur, sed tantum agitur de Judæo qui seipsum baptizaverat, imò in toto illo titulo de Baptismo, nihil habetur quòd pro illa sententia possit conferre. 2. Dicit Innoc. hâc uti ratione: Quia licet in verbis sit præscripta forma certa, in aqua non est præscripta, nec definita aliqua quantitas pro materia hujus Sacramenti, ac proinde minima, etiam sola unica gutta sufficiet. 3. Probat ex modo loquendi Tertulliani lib. de Baptismo, ubi hoc Sacramentum vocat tinctionem: minimâ autem guttâ aquæ homo dici potest tingi, tinctio enim significat tantum tactum madidum.

Dicendum tamen, quod sicut ad validum Baptismum requiritur vera ablutio, ita ad veram abluionem plus requiritur quàm tactus parvæ guttæ aquæ. Sic tenet Sylvius ad articulum 7. q. 66. Layman lib. 5. de Sacram. tract. 1. c. 3. n. 1. corol. 3. Præpositus, Suarez & alij passim. Suarez autem 3. p. q. 66. a. 4. disp. 20. sect. 2. describit bene abluionem, quòd fieri debeat per contactum aquæ cum quadam successione, seu successiva effusione partium aquæ, per partes corporis. Hoc enim colligitur ex significatione vocis *ablutio* in communi modo concipiendi omnium, non enim sufficit solus contractus, quia aqua consistens in vase, aut jacens super terram, licet illam



contingat, non dicitur abluere. Et similiter potest contingere, quod aliqua gutta aquæ factâ ablutione corpori seu capiti adhæreant, quæ tamen per hoc non dicentur ipsum abluere, requiritur proinde contactus aquæ successivus, ut sit vera ablutio. Ac proinde si aliter fieret per solam levem asperisionem digito factam, ut aliqui solent facere, sic baptizatus, saltem sub conditione esset rebaptizandus, quia dubium esset de validitate istius Sacramenti.

Ad 1. fundamentum Vasquez, ex dictis patet quod malè pro se adducat decretum Innocentii Papæ qui de hoc nihil habet.

Ad 2. verò etiam patet quod licet explicitè non sit determinata quantitas aquæ requisita, implicitè tamen & virtualiter, hoc est determinatum per hoc quod requiratur ablutio prout ipsum nomen sonat. Et in S. Scriptura vocatur *Lavacrum*.

Ad 3. Quod Tertullianus debeat intelligi de illa tinctione quæ est ablutio, non autem de illa tinctione quæ dicit solum contactum madidum: omnis autem ablutio est tinctio, non tamen omnis tinctio est ablutio.

Duo alia supersunt argumenta, quorum primum est: Si sola tinctio unius guttæ non sufficeret ad validum Baptismum, impossibile fuisset id quod habetur Act. 2. v. 41. quod Apostoli baptizaverint simul circiter tria millia; & Act. 4. v. 4. quod crediderint virorum

virorum quinque millia, qui indubiè statim baptizabantur, quod aliter fieri non poterat nisi per asperisionem, ita ut ad aliquos fortè vix una gutta potuerit pertingere. Ad hoc argumentum optimè satisfacit Soto in 4. dist. 3. quæst. unic. ad articulum 7. sub finem: videlicet quod nullatenus sit credendum illos noviter conversos, ita temerè & in confuso fuisse aquâ baptismali resperfos; alioquin multos non attigisset, nisi fortè tantum super vestes. Censendum ergo est, quod transibant coram singulis ministros, qui indubiè plures erant, ita ut tres vel quatuor simul aspergerent, aut ipsis aquam infunderent, quod congruè satis fieri poterat.

2. Arg. est: Quia unica sola gutta aquæ benedictæ aspersa super frontem aut faciem sufficit ad effectum, propter quem sumitur: ergo similiter unica gutta aquæ aspersa sufficeret ad baptismum.

Resp. Magnam esse disparitatem, quia Baptismus causat effectum suum scilicet gratiam ex opere operato, Aqua benedicta tantum ex opere operantis. Præterea quia sumptio aquæ benedictæ non vocatur ablutio, sicut baptismus qui inde nomen sumpsit.

## ARTICULUS V.

*Virum aqua rosacea sit materia Baptismi :  
saltem in casu necessitatis.*

**I**N aliquibus locis hæreticorum aliquando contingit, & fortè adhuc de facto contingit, quòd pueri Magnatum baptizentur in aquâ rosacèâ. Ac proinde meritò inquiritur utrum valide, & an sic baptizatis tantùm sub conditione baptismus iterandus sit. Loquimur autem de aquâ rosacèâ quæ merè expressa est ex succo rosarum, non autem quæ est naturalis cum admixtione aquæ rosacæ in parva abundantia: S. Thomas 3. p. q. 66. a. 4. 5. sic resolvit: *Aqua rosacea est liquor rose resolutus, unde in eâ non potest fieri baptismus, & eâdem ratione nec in aquis Alchymicis, sicut nec in vino. Nec est eadem ratio de aquis pluvialibus quæ generantur ex majori parte ex sublimatione vaporum resolutorum ex aquis, minimum autem est ibi de liquoribus corporum mistorum, qui tamen per huiusmodi sublimationem virtute nature, quæ est fortior arte, resolvuntur in veram aquam, quod ars facere non potest, unde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicujus corporis mixti, quod de aquis rosacèis & aquis Alchymicis dici non potest.*

Dicen-

Dicendum ergo numquam licitè, imo nec validè conferri Baptismum in aqua rosacea; unde in illa baptizatus, denuò absolutè est baptizandus. Pro qua sententia Diana p. 5. tract. 3. Resol. 2. adfert ultra 50. Auctores, qui præcipuè fundantur in Conc. Florent. sub Eugenio IV. ubi expressè declaratur materiam Baptismi esse aquam naturalem: *Materia hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis.* Et idem definitur in Conc. Trid. sess. 7. can. 2. *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, &c. Anathema sit.*

Non desunt tamen aliqui auctores, qui putant probabile esse quòd aqua rosacea sit vera aqua, ac proinde, saltem in necessitate adhibendam esse, tanquam materiam dubiam. Quam sententiam nullatenus approbamus, quidquid tamen de hoc sit, taliter baptizatus rebaptizandus est, saltem sub conditione.

## ARTICULUS VI.

*Vtrum liceat tradere infantem hæretico  
Ministro Baptizandum,*

**D**E Ministro baptismi sic loquitur Conc. Florent. *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare :*

L 4

100



*in causâ autem necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus & mulier, imo & paganus & hereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesie, & facere intendat quod facit Ecclesia.* Ex quibus verbis habemus quod solus Sacerdos ex officio sit minister, ita ut extra casum necessitatis à nullo alio possit Baptismus cõferri. In absentia Sacerdotis adhibendus primò Diaconus, si adsit. Post ipsum vir laicus, & in ipsius defectu mulier Catholica, quæ etiam debet viris infidelibus præferri. Infideles autem etiam adhiberi possunt in illo casu, dum nullus fidelis haberi potest.

Hic autem agimus de Baptismo solemnî, extra casum necessitatis: Et dico quod non liceat ministro hæretico tradere infantem publicè baptizandum, & hoc etiam in casu quo sub gravi pœnâ sive pecuniariâ sive etiam exilij, imo etiam mortis ad hoc parentes adigerentur. Quoad multam pecuniariam in multis locis hæreticorum est expressum mandatum, quòd pauperes præcipuè, cogunt ne proles suas aliter quam è suis pseudo-ministris in suis Ecclesiis, permittant baptizari.

Hanc nostram resolutionem probat Lesus in suo opere Posthumo v. *Baptismus* casu 1. Quia Baptismus est actus Religionis, maximè quando fit publicè, ac proinde hoc esset tacitè profiteri hæreticum talis Religionis esse verum ministrum. Ac proinde hoc num-

numquam erit licitum, sicut non est licitum parere, dum aliquid præcipitur in odium fidei, seu veræ religionis. Unde infert, hoc nefas esse saltem suis manibus offerre infantem hæretico ministro baptizandum.

Quæ ratio magis roborari potest, si consideretur bene formularium seu cõemonia quâ in solemnî Baptismo uti solent, quod videri poterit retrò in ipsorum Bibliis in quo sic habetur. *flandricè*:

Vermaninghe aen de Ouders  
ende die mede ten Doop  
komen

**G** Heliefde in den Heer Christo, ghy hebt ghehoort dat den Doop een Ordeninghe Godts is, om ons ende onse zade sijn verbondt te versgelen, daerom moeten wy hem tot dien eynde, ende niet uyt ghewoonte ofi superstitie ghebruyken. Op dat het dan openbaer worde, dat ghy alsoo ghesint zijt, sult ghy van uwen r'weghen, hier op ongeveynsdelyck antwoorden.

Eerstelijck, hoe wel onse kinderen in sonden ontfanghen ende ghebornen zijn

*ende daerom alderhande ellendigheydt, ja de verdoemenisse selfs onderwerpen, Oft ghy niet en bekent datse in Christo gheheylight zijn, ende daerom als litmarren syner ghemeynte behooren ghedoopt te zijn?*

Quibus verbis profitentur pueros sanctificatos esse, ac membra Ecclesie ante baptismum, ac proinde non sanctificari per hoc Sacramentum: & statim sequitur:

*Ten anderen oft ghy de leeringe die inde oude ende niuwe Testament, ende in de Artickelen des Christelücks geloofs begrepen is, ende in de Christelijcke Kercke alhier gheleert wordt, niet en bekent de waerachtighe Leere der saligheydt te wesen. Quæ est formalis professio religionis hæreticæ.*

*Ten derden oft ghy niet en beloofst, ende voor u neemt dese kinderen, als sy tot haer verstandt sullén ghekomen zijn, een jehelijck de sijne, waer van hy vader oft ghetuyghe is, in de voorseyde Leere na u vermoghen te onder-wysen, ofte te doen, ende te helpen onder-wysen? Est promissio perversionis puerorum per hæreticam instructionem. Et statim sequitur promissio ad singula, his verbis. Antwoorde. Jae wy. Et postea sequitur forma Baptismi.*

Ex

Ex quibus satis colligitur potius qualvis poenas sive multas, sive exilium, imo quævis tormenta, etiam mortem subeundam esse, quàm cum tali professione scetæ hæreticæ tradere pueros suos baptizandos hæretico ministro. Imo non licebit tali Baptismo assistere: quia omnes præsentés censentur talibus interrogationibus annuere, quæ est manifesta abnegatio externa fidei Catholicæ, & hoc in occasione quando maximè urget necessitas fidem profitendi, & hæresi resistendi. Et melius esset non baptizari pueros quàm tali modo.

Quid si sine talibus interrogationibus paratus sit hæreticus minister pueros baptizare? Resp. Quod sic etiam non licebit, extra casum necessitatis. Publicè autem talis necessitas non habet locum. Et sicut supra ex Lessio ostendimus, hoc esset communicare hæreticis in divinis, & tacitè ipso facto ipsorum falsam Religionem approbare.

Unde in primitivâ Ecclesiâ Catholici potius mori elegerunt, quàm ab hæreticis Sacramenta recipere. Uti inter alios fecit S. Martyr Hermenegildus, qui eò quòd nollet ab Episcopo Ariano, ab hæretico patre ad hoc missio, Communionem accipere, ipso Patre mandante gloriosum subiit martyrium. Quod autem à quibusdam repidis Catholicis ista fiant, inde contingit, quòd vel

L 6

nullæ.

nulla, aut valdè mortua fides in ipsis sit restitua. Et timeant magis illos qui bona temporalia requirunt, aut etiam corpus occidunt, quàm illum qui animam simul, & corpus perdere potest in gehennam.

## ARTICULUS VII.

*Vtrum Mater Catholica curare possit puerum à Catholico Sacerdote baptizari quem Pater hæreticus vult baptizari ab hæretico ministro.*

**H**oc dubium movet Lessius ubi supra v. *Baptismus* casu 2. Et respondet affirmativè, dicens expedire ut talis infans à Catholico ministro ritu Ecclesiæ baptizetur. antequam hoc fiat ritu hæretico ab hæretico ministro, & quòd mater Catholica jus habeat ut ipsum sic curet baptizari, nec referre quòd secundò baptizatur jussu patris hæretici quia ad hoc mater tantum permissivè se habet.

Sed ista resolutio non caret difficultate. Unde judico quòd mater tunc monere deberet patrem, quòd infans baptizatus sit, ne Baptismus reiteretur.

Quid si Sacerdos haberi non possit, nec vir Catholicus. An baptizari potius debeat à muliere

muliere Catholica quàm à ministro hæretico ?

Resp. Affirmativè, tum quia, ut supra diximus, in Concil. Florentino mulier præfertur hæreticis & paganis in hoc ministerio. Tum quia censeretur debet, tunc esse casum necessitatis in quò licitum est mulieri baptizare.

## ARTICULUS VIII.

*Vtrum Catholicus ut patrinus suscipere possit puerum ab hæretico ministro baptizandum.*

**L**ayman lib. 5. tract. 2. c. 9. n. 6. respondet affirmativè & hoc censet maximè licere in Germania, & aliis partibus, ubi est communicatio & pax hæreticorum cum Catholicis, ubi etiam passim inter ipsos matrimonia celebrantur.

Probat autem hoc 1. Quia officium Patrini nihil aliud est quàm externâ susceptione profiteri, quod puerum spiritualiter genitum, Sacram undâ Baptismatis, suscipiat in curam suam, tamquam ejus nutritivus spiritualis & pædagogus, quod non impeditur per hoc quod puer ab hæretico Ministro baptizetur.

2. Quia Patrinus Catholicus suscipiendo

ex sacro fonte baptizatum à Ministro hæretico, neque activè neque passivè concurrat, aut ullo alio modo cooperatur ad indebitam ministracionem Baptismi. Interim verò impedit, ut baptismus qui indebitè, seu non servatis accidentalibus cæremoniis Ecclesiæ à prædicante ministrandus erat, minus malè & incongruè administretur. Cùm enim alioquin patrinus hæreticus adhibendus fuisset, qui tacitè profiteretur se prolem Ecclesiæ genitam, & ab eadem receptam, in hæresi instructurum esse, hoc nefas impedit Catholicus.

3. Quod si Catholicus infantem suscipere renuat, quia ab hæretico Prædicante baptizatur, causam scandali præbere poterit, existimantibus hæreticis, ideo eum refugere, quod ipsorum Baptismum tanquam invalidum contemnat & abhorreat.

Nihilominus negativè respondendum est Quæsito, cum Navarro lib. 1. Consil. lit. de consil. consil. 1. num. 66. Et Thomâ à Jesu Maria de convers. lib. 3. p. 2. §. 4. Et Verricelli de Apostol. Mission. q. 124. qui dicit sic censuisse S. Congregationem 1642. 17. Septen.bris. Idem etiam tenent Lessius ubi supra casu 1. Castro Palau tom. 4. tract. 19. Et Franc. Lugo de Sacram. lib. 2. cap. 7. num. 39.

Prob. eisdem rationibus quibus supra probatum fuit, quod non liceat tradere infantes baptiz-

baptizandos hæreticis Ministris. Tum propter interrogaciones & promissiones quæ in Baptismo ab ipsis exiguntur, prout retuli ex ipsorum formulario. Tum quia est tacita approbatio ritus ipsorum, & quasi legitimi ministerij Sacramenti. Tum etiam quia Patrinus, licet non expressè, implicite tamen promittere censetur se instructurum infantem in ipsorum religione, in quem finem ab ipsis adhibetur, & hoc licet non exigeretur expressa de hoc promissio.

Et per hoc patet solutio primi & secundi fundamenti Patris Layman, quia suscipiendo puerum activè concurrat ad id ad quod assumitur. Nec puto quod ipse illam sententiam tenuisset, si vidisset illud formularium.

Nihil autem refert quod alioquin adhibetur patrinus hæreticus, non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona, aut ut majus malum impediatur.

Nec tertium ipsius fundamentum urget, tale enim scandalum esset acceptum non datum; existimare enim deberent id quod verum est, quod vir Catholicus ideo hoc recusaret, non quia ipsorum baptismus habeatur pro invalido, sed quia illicite confertur ab ipsis, & quia contemnunt ritus & cæremonias Ecclesiæ, in cujus odium illam promissionem conformiter ad ipsorum formularium exigunt.

Notanz

Notant tamen Castro Paulus & Franc. Lugo excusari posse Patrinum Catholicum si hoc faciat ex gravi metu periculi, quod sibi aut familiæ suæ immineret. Sed talis metus non potest excusare virtualement abnegationem fidei Catholice & implicitam saltem professionem seu approbationem Religionis hæreticæ. Licet etiam expressè protestetur se infantem velle instruere in fide Catholica. Præterquam quod sic non evaderet periculum quod sibi timet, sed majus odium incurreret. Nec etiam sic protestanti concederetur instructio pueri, & sic suæ obligationi satisfacere non posset.

## ARTICULUS IX.

*An parentes Catholici adhibere, aut admittere possint Patrinum hæreticum pro suis prolibus.*

**R**espondeo negativè. Sic omnes Doctores unanimiter tenent. Suarez 3. p. q. 97. a. 7. Præpositus ibidem. Candidus tomo 1. disp. 16. a. 4. dub. 12. Et Verricelli ubi sup. Et Alij.

Prob. 1. hæretici sunt incapaces muneris Patrini, cujus est in defectu aliorum puerum in Baptismo susceptum in fide instruere, quod

rectè

rectè fieri non potest ab eo qui à verâ fide aberrat. Et tamen si hoc se facturum promittat, non est ipsi credendum, cum moraliter hoc bene fieri nequeat ab eo qui ab illâ fide, in quâ puer susceptus instruendus est, deficit.

Nec etiam refert quod rarò hoc fieri debeat à Patrinis, cum parentes Catholici sufficientem curam sint adhibaturi, aut per seipios, aut per magistros Catholicos, aut per suos Pastores, aut alios quibus proles suas instruendas committent. Hoc enim per accidens est, semper enim Patrinus ratione muneris sui ad hoc tenetur.

2. Ob periculum perversionis, quod ex hoc natum est sequi, si enim ante sufficientem ætatem, aut instructionem, parentes Catholici moriantur, Patrinus, jus habebit ut à se suscepta proles in fide instruatur, & cum per hoc contraxerit cognationem spiritualem cum ipsa, & quandam superioritatem patris spiritualis, omnino urgebitur puer ipsi adherere, ut ab ipso instruatur in fide. Et sic potius corruptor erit, quàm instructor. Ob quam rationem non licet parentibus Catholicis relinquere proles suas tutoribus hæreticis.

Layman tamen lib. 3. tract. 2. c. 9. n. 7. censet id aliquando licitè fieri posse, quando id gravis causa seu necessitas exigit, & dicit hanc esse proximam tam in inferiori quàm superiori Germania, quando non potest haberi ullus Catholicus: quia parentibus, inquit, numquam per-

persuadebitur in Germania ut ipsi jus patrinum designandi adimatur. Cujus fundamenta apud ipsum videri poterunt: quæ tamen sufficienter nostris probationibus excluduntur.

Ob has & similes rationes in Rituali Romano Pauli V. tit. de Patrinis §. penult. expressè ab hoc munere hæretici arcentur. Ulterius inquires quid fieri debeat si commodè haberi non possit Patrinus Catholicus?

Respondeo quòd in tali casu potius omitti debeat patrinus, quàm hæreticus admitti. Sic plerique Doctores tenent contra Layman ubi sup. cap. 9. n. 7. Ratio est, licet enim ex præcepto Ecclesiastico mandetur ut adhibeatur Patrinus in Baptismo, hoc solùm intelligitur si haberi possit, qui ad hoc capax est, videlicet ad instruendum in fide, ubi autem talis haberi non potest, præceptum non obligat. Quod confirmari potest, quia cessante fine legis non tantùm negativè, sed etiam contrariè, secundùm omnes cessat obligatio legis; imò sic potius peccaretur contra legem, quàm observaretur. Sed in casu nostro quando haberi non posset Patrinus, nisi hæreticus, finis istius legis Ecclesiæ cessaret, etiam contrariè ob periculum perversiõnis infantis suscipiendæ, ergo lex illa Ecclesiastica cessaret nec, ullatenus obligaret. Imò sic potius peccaretur contra legem, aut consuetudinem Ecclesiæ intendentis rectam instructionem, quàm observaretur. Nec dici potest quòd tunc solùm adhiberetur

Patri-

Patrinus tanquam testis Baptismi puero collati; hoc enim falsum est, longè enim differt officium Patrini, ab officio solius testis.

## ARTICULUS X.

*Quanam instructio requiratur in adulto  
Baptizando.*

**H**æc quæstio sæpe potest occurrere, non solùm quando primò conversus ad fidem sive à Paganismo, sive Judaismo, sive etiam hæresi Baptizandus est, sed quando ob dubium validi Baptismi in infantia collati, sub conditione debet iterari

Requiritur autem ut adultus Baptizandus sit sufficienter instructus, tam in credendis, quàm in faciendis, hoc est tam in fide, quàm in moribus. Quantum ad fidem loquitur S. Thom. 3. p. q. 71. a. 1. ubi sic ait in corp. *Baptismus est fidei Christiana Sacramentum, cum sit quadam professio fidei Christiana, ad hoc autem ut aliquis fidem accipiat, requiritur quòd de fide instruat, &c.* Et ideo ante baptismum convenienter præcedit Catechismus, unde & Dominus præceptum baptizandi tradens discipulis, præmittit doctrinam Baptismo, dicens *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

Et

Et sic etiam Act. 8. Philippus prius catechizavit Eunuchum, & deinde ipsum baptizavit. Quantum ad instructionem in faciendis, sic loquitur S. Basilius hom. 1. de Baptismo: *Et ne quis existimaret (quod aliqui etiam heretici opinari sunt) esse tantum necessariam doctrinam de credendis, non autem de agendis, addit Christus: Docentes servate omnia quaecumque mandavi vobis.*

Praxis autem primitivæ Ecclesiæ erat sedulo curare, ut baptizandi præviè bene exercerentur in Catechismo. Talis autem erat consuetudo: Primò, desiderantes se ad fidem convertere, admittebantur ad res fidei audiendas, antequam formaliter baptismum peterent, & hi vocabantur *Catechumeni*, sive audientes, seu initiandi

2. Illi qui auditis articulis fidei omnino decreverant se convertere, Baptismum petebant, & nomen suum dabant, ut constat ex S. Dionys. cap. 2. de Eccl. Hierarch. Unde & Clemens Papa Epist. 3. describens ritus Ecclesiæ, refert quomodo vocabatur Catechumenus ad Baptismum: *Accedat qui baptismum vult, ad Sacerdotem, & nomen suum det.* Et tunc appellabantur *Competentes*, ut testatur S. Augustin. de fide & oper. cap. 6. Et de seipso lib. 9. confess. cap. 6. loquens de se jam Catechumeno factò, dicit: *Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, &c.* In Concil. Constantin. 1. cap. 7. in ordine quem ser-

servandum præscribit, dicitur: *Primo die Christianos facimus. Secundo Catechumenos. Tertio exorcisamus. Et tunc eos baptizamus.* Christianos autem facere ante baptismum nihil aliud erat, quàm quòd dabant nomen suum, quo declarabant se velle annumerari, & adscribi inter Christianos: nomina autem sua quæ tunc dabant, non erant illa quæ antea habebant, quando erant in paganismo; sed nova quæ ipsimet eligebant, sicut jam Patrini loco infantium baptizandorum nomina imponant.

3. Postquam nomen dederant inchoabatur Catechismus, ut ex prædictis SS. Patribus colligitur, præsertim ex S. Dionys. cap. 2. de Eccl. Hierarch. Clemente Epist. 3. Ambros. lib. de iis qui initiantur. Cyrillo Hierosol. in Catechesibus August. lib. de fide & oper. cap. 9. & sequent. Et Tertul. lib. de Baptismo Qui omnes docent Catechumenos illo tempore non solum de fide, sed etiam de moribus & præceptis fuisse instructos. Et insuper jejunii, orationibus, aliisque piis operibus toto illo tempore fuisse exercitos. Et tunc tandem Baptizabantur. Vide Suarez 3. p. quæst. 71. ad artic. 1. ubi latè describitur hæc & alias ceremonias & exercitia baptizandorum; ubi agit etiam de tempore quo illa instructio & exercitia durabant.

Hæc incidenter tangere volui ut Missionarii inde colligant, non facile ad baptismum esse

esse admittendos illos, qui in adultâ ætate ad baptismum accedunt, nisi bene instructos etiam in moribus. Ad principale ergo quæsitum, Respondeo: non prius esse baptizandum adultum, quàm sufficienter sit instructus de illis quæ sunt credenda, & quoad præcepta tam Decalogi, quàm Ecclesiæ & quoad usum Sacramentorum, saltem eorum quæ necessaria sunt, videlicet Baptismi, Pœnitentiæ & Eucharistiæ, de aliis postea possunt informari. Maximè verò instruendi sunt in illis articulis in quibus errabant ante suam conversionem conformiter ad Rituale Romanum Pauli V. supra relati tract. 2. de fide artic. 7.

Si tamen adeo rudis est baptizandus, & tempus seu occasio tam brevis ut de omnibus illis instrui non possit; sufficiet quod sit instructus in eis quæ sunt de necessitate mediæ, cum promissione Patrini, quod ipsum quam primum sufficienter edocebit.

Uterius inquiri potest, quid agendum sit, si tempus & occasio non permittant ut etiam in illis quæ sunt de necessitate mediæ instruantur, nec spes sit similis occasionis habendæ, an tunc non sufficiet similiter sponso Patrini, cum tanta sit Baptismi necessitas? Quod etiam quæri possit si sit baptizandus in periculo mortis.

Respondeo negativè: Quia illa quæ sunt de necessitate mediæ ad salutem, etiam sunt de neces-

essitate ad justificationem. Cum igitur Baptismus conferat gratiam justificantem non potest licitè conferri nisi habenti sufficientem dispositionem ad gratiam, quæ sit primò per fidem. Quod etiam colligi potest ex illo Martini ult. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Præmittitur fides Baptismo, tanquam necessaria dispositio, tam ad ipsum Baptismum, quàm ad salutem.

Imo invalidè conferretur adulto, sic nec etiam notitiam haberet ipsius Baptismi, cum enim requiratur intentio in recipiente Baptismum, talis intentio esse non potest de re ignorata. Multò magis invalidè conferretur invito ut habetur in cap. *Majores* videatur etiam S. Thomæ 3. p. q. 68. a. 7. & 8.

Quantùm ad illos qui sunt in periculo mortis, si sufficienter instrui possint de Sacramento Baptismi, etiam facile doceri poterunt de iis quæ necessaria sunt necessitate mediæ, non quidem ut diu retineant, si adeo rudes sunt, quod in illo statu non est necessarium, sed ut sufficienter capere possint ad unum actum fidei, qui & pro Baptismo & salute sufficiet. Si ne quidem hoc possint & tales semper fuerint, aliquando judicari poterit quòd non sint adulti, hoc enim non habent per ætatem, sed per usum rationis, in quo Missionarii prudenter debent procedere. Et sic tanquam parvulos non adultos ipsos baptizare.

## ARTICULUS XI.

*De Cæremoniis quibus modò Ecclesia utitur in Baptismo.*

**N**on sum intentionis ut exactè discurram de hac materia, nisi solùm quantum ad hoc ut Pastores & Missionarii sufficientem habeant notitiam cæremoniarum, quibus ex ritu Ecclesiæ utuntur, ne quasi cæco modo illas adhibeant, & ut fideles instruant de iis quæ hæretici irrident, & contemnunt sicut enim Sacramenta signa sacra sunt à Christo Domino instituta, sic etiam Ecclesia cæremoniis utitur, antiquâ traditione stabilitis, quæ etiam sacrâ aliquâ significatione mentes fidelium, ad Sacramenta dignius administranda aut recipienda disponunt.

Utatur igitur in hoc sicut in similibus doctrinâ Angelici Doctoris qui pro more suo accuratè quantum ad propositum opus est, dilucidat. Ipse igitur 3 p. q. 71. a. 2. agit de Exorcismo & simul de aliis ritibus in Baptismo solitis adhiberi.

In primis circa antiquitatem Exorcismi qui fit ante Baptismum adducit auctoritatem Cælestini Papæ I. in Epist. ad Episcopos Galliæ c. 12. in princip. tom. 1. Conciliorum ubi sic dicit: *Sive parvuli, sive juvenes ad regenera-*  
*tionis*

*tionis veniant Sacramentum, non prius fontem vita adeant, quàm Exorcismis & exsufflationibus Clericorum, spiritus immundus ab eis abjiciatur. In corp. verò articuli sic prosequitur S. Thomas: Quicumque sapienter aliquod opus facere proponit; prius removet impedimenta sui operis: unde dicitur Hierem. 4. v. 3. novate vobis novale, & nolite serere super spinas. Diabolus autem hostis est humana salutis, quæ homini per Baptismum acquiritur; & habet potestatem aliquam in hominem ex hoc ipso, quod subditur originali peccato, vel etiam actuali. Unde convenienter ante Baptismum expelluntur demones per Exorcismos, ne salutem hominis impediant: Quam quidem expulsionem significat exsufflatio. De hac exsufflatione expressè loquitur Dionys. c. 2. de Ecclesia Hierar. uti Cælestinus Papa supra: Et S. August. de Eccl. dogm. c. 31. dicit Exsufflationibus Clericorum spiritum immundum abigi, tam à parvulis quàm ab adultis. Dionys. autem loco jam citato dicit ipsos adultos Catechumenos baptizandos, solitos esse ter exsufflare dæmonem. Propriè tamen id convenit ministris Ecclesiæ ad significandam efficaciam; unde & increpatio cum imperio adjungitur, his aut similibus verbis: *Maleditte exi foras nisi fortè ipsi baptizandi etiam ter exsufflabant, significando abrenuntiationem dæmonis, quod tempore S. Dionysij apparenter fiebat, quando baptizandus collocabatur versus occidentem, cum**



porrectione manûs, tunc enim jubebatur ter-  
tium Satanam exsufflare, & quæ abrenuntiationis  
sunt profiteri.

Pergit S. Thomas ad secundam ceremo-  
niam, quæ est manûs impositio cum benedi-  
ctione: *Benedictio autem*, inquit, *cum manûs*  
*impositione præcludit expulso viam ne redire*  
*possit* Hujus ceremoniæ meminit Clemens Pa-  
pa 1. 7. constit. Apost. cap. 30. & 40. & August.  
lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. c. 26.  
ubi docet catechumenos secundum quemdam  
modum suum, per signum Christi, & oratio-  
nem manûs impositione sanctificari: quo sig-  
nificatur hanc manûs impositionem habere  
conjunctam orationem Sacerdotis cum signo  
Crucis.

Ulterius prosequitur S. Th. *Sal autem in*  
*os missum, & narium & aurium sputo linitio*  
*significat receptionem doctrina, fidei quantum*  
*ad aures, & approbationem quantum ad nares,*  
*& confessionem quantum ad os.* Cujus ceremo-  
niæ antiquitas constat ex S. August. lib. 1. con-  
fess. cap. 11. ubi dicit: *Signabar jam signo*  
*ejus, & condiebar ejus sale* Et c. *Sal cælestis*  
*Sapientia* de consecr. dicitur. *Sal cælestis Sapi-*  
*entia* quo initiatur catechumeni, in cunctis  
operum nostrorum sacrificiis jubemur offerre.  
Et ibid c. Postea tanguntur ei nares &  
aures de Saliva, & dicitur ei verbum Evange-  
licum quod dixit Iesus, quando surdum & mu-  
tum sanavit.

Deinde

Deinde S. Thomas: *Olei verò unctio sig-*  
*nificat aptitudinem hominis ad pugnandum*  
*contra dæmones* Quod latius deduxerat q. 66.  
a 10. ad 2. *Primò baptizandus inungitur*  
*Oleo Sancto, & in pectore & in scapulis,*  
*quasi athleta Dei ut Ambros. dicit in lib. de*  
*Sacramentis lib. 1. cap. 2. & lib. 3. c. 1. sicut*  
*Pugiles inungi consueverunt, unde sicut In-*  
*noc. dicit in quodam decreto cap. Cum venisset*  
*de S. Unctione: Baptizandus in pectore*  
*inungitur ut per S. Spiritus donum abiciat*  
*errorem & ignorantiam, & fidem rectam*  
*suscipiat, quia justus ex fide vivit. Inter*  
*scapulas autem inungitur ut per Spiritus S. gra-*  
*tiam excutiat negligentiam & torporem, &*  
*bonam operationem exerceat, quia fides sine*  
*operibus mortua est, ut per fidei Sacramentum*  
*sit munditia cogitationum in pectore, & per*  
*operis exercitium fortitudo laborum in scapulis.*  
Post Baptismum verò ut Rabanus dicit c. De in-  
de, statim signatur in cerebro à Presbytero, cum  
Sacro Chrismate, sequente simul & occasione, ut  
Christi regni particeps fiat, & à Christo Chris-  
tianus possit vocari, vel sicut Ambros. dicit  
unguentum super caput effunditur, quia sensus  
Sapientis in capite ejus, ut scilicet sit paratus  
omni petenti de fide reddere rationem.

M. 3. ARTI-

## ARTICULUS XII.

*Virum pueri Iudaorum, & aliorum infidelium non Baptizatorum invitis parentibus sint baptizandi.*

**A**gitur tantum hinc de pueris infidelium non baptizatorum, quia quoad pueros hæreticorum, alia est difficultas, de qua agemus sequenti articulo.

Supponimus autem tamquam indubitatum, quod talis Baptismus sit validus; quidquid dicat Durandus in 4. dist. 4. q. 7. & Palud. dist. 4. q. 4. citatus à Sylvestro v. Baptismus 4. q. 6. Ratio autem est quia pueri non baptizantur in fide parentum aut particulariter offerentium, sed in fide totius Ecclesiæ; & sic non requiritur ipsorum consensus vel voluntas, quod colligitur ex S. August. Epist. 23 ad Bonifac. cuius verba habet S. Thomas 3. p. q. 68. a 9. Offeruntur, inquit, parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamvis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt) quam ab universâ societate Sanctorum & fidelium.

Inquiritur igitur solum utrum hoc sit licitum. Quam difficultatem tractat S. Thomas  
ibid.

ibid. a. 11. Et præcipue 2 2. q. 10. a. 12. ubi expressè resolvit in fidelium pueros non esse invitis Parentibus baptizandos, quod primo fundat in auctoritate Ecclesiæ, quæ nunquam usum habuit. Quod Iudaorum filij invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus & Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, & Ambrosius Theodosio; qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare si hoc consonum esset rationi; Et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut præter consuetudinem in Ecclesiâ hætenus conservatam, Iudaorum invitis parentibus Filij baptizantur. Deinde verò id ipsum prosequitur duplici ratione: Vnâ quidem propter periculum fidei: si enim pueri nondum usum rationis habentes Baptismum susciperent, postmodum cum ad perfectam ætatem pervenirent, de facti possent à parentibus induci, ut relinquerent quod ignorantes susceperunt; quod vergeret in fidei detrimentum. Alia verò ratio est: quia repugnat justitiæ naturali. Filius enim naturaliter est aliquid patris Et primo quidem à parentibus non distinguitur secundum corpus, quamdiu in matris utero continetur. Postmodum verò postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrij habeat, continetur sub parentum cura, sicut sub quodam spiritali utero: Quamdiu enim usum rationis non habet puer, non differt ab animali

*irrationali. Vnde sicut bos vel equus est alicujus, ut utatur eo cum voluerit secundum jus civile, sicut proprio instrumento; ita de jure naturali est, quod filius antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Vnde contra justitiam naturalem esset, si puer antequam habeat usum rationis, à cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur in vitis parentibus.*

Tres igitur rationes adfert S. Thomas quibus suam, & communem resolutionem confirmat. Videlicet propter usum seu praxim antiquæ Ecclesiæ. 2. Propter periculum perversionis. 3. Propter jus naturæ quo pueri ante usum rationis directioni & curæ parentum subduntur. Hanc tertiam rationem impugnat Scotus in 4. dist. 4. q. ult. ut refert Cajet. Et quidem his rationibus.

1. Quia Deus habet jus dominii supra puerum, magis quàm parentes, ergo vinculum potestatis paternæ non obligat in his quæ sunt contra præceptum Dei.

2. Quia Princeps debet cogere servum plurium subordinatorum dominorum, ad servitium superioris, si inferior Dominus vult eo uti contra superiorem, ergo Princeps maxime debet zelare pro dominio servando supremi Domini, scilicet Dei: licet igitur sit contra voluntatem inferioris Domini scilicet Patris, quod puer Baptizetur, quia tamen hoc est secundum voluntatem supremi Domini, huic est parendum.

3. Paren-

3. Parentes nolentes pueros suos baptizari, abutuntur jure suo, quia agunt contra jus quod Deus habet super pueros ut ad ipsius cultum enutrientur, ideo Princeps per Ecclesiam illos debet privare tali jure, quia faciendum est ut conservetur jus Dei contra jus parentum, abutentium illo jure cum contumeliâ Dei, qui ordo perversus est.

4. Magis debet subveniri homini circa periculum mortis æternæ, quàm circa periculum mortis temporalis, sed si aliquis videret puerum in periculo mortis temporalis, & ei non ferret auxilium, peccaret licet invitis parentibus illi esset subveniendum, ergo multo magis peccaret, qui non succurreret puero per Baptismum, sine quo est in periculo mortis æternæ, licet parentes sint invit.

Ad 1. conceditur antecedens, sed videndum est quomodo Deus jus suum instituerit: considerandum enim est quod Deus & sit institutor naturæ, & etiam est institutor gratiæ & fidei utriusque autem jus vult observari. Nec unum jus est alteri contrarium, gratia enim non destruit naturam, sed perficit, Dominium autem parentum supra filios, non est tam ipsorum quàm naturæ ac Dei, qui illum instituit, ac proinde comparatio non est facienda inter parentes & Deum, sed inter Deum institutorem naturæ, & seipsum Deum institutorem fidei & gratiæ, & uterque ordo ab ipso, & ipsius est. Non autem sic instituit legem fidei ut voluerit

M 4

pro

pro eâ servandâ legem naturæ solvi, quamvis hoc possit, sed instituit ut per media secundum naturæ ordinem instituta, lex fidei impleatur, quia Divina Sapientia disponens omnia suaviter, infima per media reducit ad summum. Et sic statuit ut adultus propriâ ratione ac voluntate legem fidei impleat, quia fug curæ naturaliter commissus est; Puer autem mediâ ratione & voluntate parentum, quorum curæ naturaliter commissus est. Unde cum in parentibus infidelibus duo concurrant, scilicet jus naturæ, respectu filiorum curæ, & admixta infidelitas quâ nutriunt eos ad suum ritum, licet hoc secundum sit malum & in eo peccent mortaliter, & propter hoc non solum filiis, sed & vitâ & se ipsis privari possunt, ita quod possent justè annihilari: primum tamen justum est naturaliter, & propterea Deus statuens ordinem gratiæ ad perfectionem ordinis naturæ, illud justum naturale violari non vult, quamvis ipsi abutentes hoc promereantur. Videatur Cajet. cujus tota hæc doctrina est.

Ex quibus etiam ad 2 Respondetur: hoc argumentum Scoti convincere, quando supremus Dominus vult observari legem suam, contra ordinem legis inferioris Domini, quod hîc locum non habet, ut ex dictis patet, quia Deus instituit utrumque ordinem, naturæ scilicet & fidei, & statuit ordinem fidei implendum; min strante sibi ordine naturæ. Et sic etiam patet ad 3.

Ad 4.

Ad 4. Respondet sibi ipsemet Sanctus Th. ad 2. Quia à morte naturali non est aliquis eripiendus contra ordinem juris civilis, puta si quis à Judice condemnetur ad mortem temporalem, nullus debet eum violenter eripere. Unde nec aliquis debet rumpere ordinem juris naturalis, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet à periculo mortis æternæ. Accedit quòd Pater non habeat jus in vitam filiorum, nec est quoad hoc ipsorum Dominus, sicut est quoad instructionem, unde sicut non potest illos occidere, ita nec impedire ne à morte corporali liberentur.

Dico 2. Non requiritur consensus utriusque parentis, sed sufficit alterutrius. Unde si mater sit Christiana, & pater infidelis, aut e contra si pater Christianus, & mater infidelis, puer baptizandus est.

Colligitur hoc primò ex capite 2. extra da conversis. infidelium ubi Gregor. IX. statuit patre converso ad fidem, illi assignandum esse puerum quadriennem, ut ab eo possit in Fide Christiana educari & institui. Et ex Conc Tolet IV. c. 62. prout habetur in c. Judæi, ubi dicitur, quòd filij matris Christianæ & patris Judæi, matris conditionem sequi debeant, & similiter illi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus & fidelibus viris Christianam sequantur Religionem, non judaicam superstitionem. Ac proinde poterunt, imò debebunt baptizari.

M 3

2. Prob.

2. Prob. Ratione inprimis ex parte Patris fidelis, quia ille est caput, & proinde maximè ad ipsum spectat cura & gubernatio. Quoad matrem verò, si tempore partus erat fidelis, Ecclesia accipit jus, quia partus sequitur ventrem. Et licet non sit tam evidens ratio, si tempore partus infidelis erat, tamen satis probabile est quòd quoad hoc sint æquales. Aliundè verò aliquid dandum est parenti fidei in favorem Christianæ Religionis, ut insinuat Greg. IX. ubi sup. Et in favorem etiam innocentia, & salutis ipsius parvuli.

Imo si uterque parens maneat infidelis, alteruter tamen permittat filium baptizari, hoc licebit; quia cum talis consensus sit in favorem Religionis, & bonum ac salutem filii, est præferendus. Nam etiam juxta commune jus si filius alicui ex parentibus subtrahendus est, adjudicatur parti innocenti. Videatur Suarez 3. p. q. 69. n. 6. sect. 3. dub. 1. ubi etiam bene notat, hoc sic intelligendum esse, dummodo absit periculum apostasiæ vel alicujus sacrilegii. Et ideo in illo casu puer à curâ & consortio parentis infidelis subtrahendus esset, ut tutò baptizari possit; juxta doctrinam Conc. Toler. ubi sup.

Dico 3 Si puer quomodocumque sive justè, sive injustè, de facto sit extra potestatem parentum, & tutorum, ita ut nulla sit spes, aut obligatio ipsum parentibus restituendi, vel quia ignoratur cujus filius sit, vel quia tam

longe

longè distat ut moraliter non possit restitui, poterit sine consensu parentum baptizari, licet etiam constaret aut præsumeretur quod essent injuri. Et ratio est quia licet tunc parentes retineant quasi radicale jus, actualem tamen usum istius juris amiserunt, imo moralem potestatem illo utendi, & ideo ne puer ille sit omni auxilio destitutus, opus est ut alius in illo jure succedat, qui possit & debeat ipsius curam habere. Dixi: *Et Tutorum*, quia ipsi succedunt in jus parentum. Ita tenet Cajet. Soto, & Suarez.

Dico 4. Si puer sit omnino morti proximus, ut nulla sit spes quòd superveniat, probabile est quòd injuriis parentibus possit baptizari.

Sic tenet noster Soto 4. dist. 5. q. unic. art. 10. sub finem, & cum ipso passim alii. Ratio est: Quia tunc cessat inprimis periculum perversionis seu Apostasiæ, & sic nulla timenda est injuria fidei: Nec etiam Patri fit injuria (ut sic etiam fiat satis fundamento S. Thomæ) quia non subtrahitur puer à parentum cura per Baptismum aut baptizantem, sed per imminentem mortem, puero autem maximum fit beneficium. Accedit etiam maxima necessitas; quia in tali casu nulla superest spes, ut puer veniens, ad adultam ætatem possit se propriâ voluntate ad salutem disponere. Rationabile autem videtur ut ad succurrendum extremæ necessitati spirituali, modicum quid

M 6

Domi-



Domino invito auferatur, si adhuc dici possit patrem in simili casu moraliter loquendo, dominium habere, quod jam quodammodo imminens mors auferre incepit. Notandum tamen nihil per vim etiam in tali casu attendendum propter scandalum quod inde natum esset sequi.

Dico 5. Pueri infidelium qui non tantum politicè, sed etiam serviliter subjecti sunt Principibus Christianis, possunt auctoritate Dominorum separari à parentibus, ipsisque invitis baptizari.

Hæc conclusio colligitur ex S Thoma 2. 2. q. 10. a. 12. ad. 3 in quo sic opposuerat: filii servorum sunt servi Regum & Principum, ergo & filii eorum, Reges ergo & Principes habent potestatem de filiis Judæorum facere quod voluerint, nulla ergo erit injuria si eos baptizent invitis parentibus. Responder: *Quod Iudæi sint servi Principum servitute civili quæ non excludit ordinem juris naturalis vel divini.* Ex quo bene sequitur quod si infideles etiam Judæi sunt servi servitute mancipiali, & non tantum politicâ seu civili, sine injuria eorum pueri baptizari possint.

Prob. ratione: Dominus pro suo arbitrio potest separare filium servum à patre servo, sine ulla injustitia, ergo potest sic separatum curare baptizari. Antecedens est certum: quia servitus jure gentium sic introducta est, ut Dominus possit servum vendere, donare,

aut

aut mittere quò vult, ergo sicut hoc potest facere circa parentum, ita quoque circa filium. Est enim par ratio, cum uterque sit æqualiter servus, & per consequens æqualiter subjectus suo Domino. Prob. prima consequentia: filio separato à Domino succedit Dominus loco parentis, & ad eum pertinet jus, & cura gubernandi servum suum etiam quoad spiritualia, non minus quàm cura providendi illi de necessariis ad vitam corporalem. Quod patet exemplo Mathatæ ut habetur 1. Machab. 2. qui parvulos incircumcisos in bello captos, circumcidi fecit, inter quos procul dubio plerique erant filii infidelium.

Dices 1. cum Cajet. qui tenet contrariam sententiam: Potestas herilis solum se extendit ad officia politica, unde quantumcumque proles separetur, non potest invito patre baptizari; baptismus enim ad jus divinum pertinet & non ad politicum.

2. Quia ratio primæ conclusionis etiam pro illis parentibus militat, qui sunt mancipia, per servitutem enim non perdidissent jus naturale quod habent ad gubernandum proles suas. Cum nec jus divinum permittat pueros à curâ parentum abstrahi ante adultæ ætate.

3. Ab inconvenienti: fieri enim potest ut tales pueri, si postea intelligant se abstractos fuisse à parentibus paganis, facile recedant à fide per baptismum susceptâ, & redeant ad infidelitatem parentum.

M 7

Resp.

Resp. Ad 1. negando assumptum, uti probatum est per rationem conclusionis nostræ. Licet enim per servitutem prolis non adimatur facultas patri procurandi ipsi spiritualia, uti patet de servis Catholicis, eadem tamen facultas conceditur Domino ut mancipium humano & Christiano modo gubernet.

Ad 2. Negatur similiter assumptum, si enim sine injuriâ parentum servorum pueri possunt ab ipsis separari, quod conceditur jure gentium, ex eodem jure sequitur quod Dominus sic separatis providere possit de his quæ jam pater separatus facere debuisset, Jus autem gentium non est contra jus divinum, aut naturale, sed inde derivatur.

Ad 3. Resp. Idem inconveniens posse sequi ex Baptismo collato filijs hæreticorum, quo tamen non obstante baptizandi sunt invitis etiam parentibus. Caveri autem potest ut nunquam resciant, se habuisse parentes infideles. Ac proinde non videtur adesse morale periculum majus, quàm in aliis pueris in infantia baptizatis.

Id autem quod diximus de mancipiis, non intelligitur de Judæis, qui licet aliquâ servitute politicâ Principibus subdantur, non tamen perdunt Dominium sui, & filiorum.

ARTI

## ARTICULUS XIII.

*Utrum pueri hæreticorum invitis parentibus sint Baptizandi.*

**R**espondetur Affirmativè. Quod satis colligitur ex Conc. Toletano præcedenti articulo pro 2. concl. relato.

Prob. Ratione: Quia hæretici ratione baptismi, jurisdictioni Ecclesiæ planè subduntur, ac proinde sine injuriâ compelli possunt, ut pueros suos ad Baptismum Catholicorum deferri faciant, & in Religione Catholica instruant. Si autem hoc facere recusent, eorum infantes ab eorum cura abstrahi & baptizari possunt, imo & debent.

Contra tamen objici potest. 1. Quia non minus periculum imminet illis infantibus, si baptizari relinquuntur sub cura parentum, quam infantibus aliorum infidelium, ne postquam ad adultam ætatem devenerint, à fide deficient, & parentum suorum erroribus in hæreant.

2. Jus naturæ quod relinquit parentibus curam & directionem liberorum suorum, usque ad adultam ætatem non perditur per hæresim, magis quàm per aliam infidelitatem, ac proinde

de

de salvo illo jure baptizari non possunt inuitis parentibus etiam hæreticis.

Resp. Periculum perversionis non esse adeo propinquum in liberis hæreticorum, sicut in pueris aliorum infidelium, tum quia sine suorum parentum injuria ab ipsis abstrahi possunt, tum etiam quia hæretici Christi nomen & Sacramenta Christiana non adeò derestantur, cum & ipsi baptizare soleant. Addi etiam potest, quòd licet à parentibus & aliis ministris suis hæreticis falsa dogmata doceantur, tamen sæpè laborent difficulter vincibili ignorantia, cum ad adultam ætatem perveniunt, & sic non laborent hæreticâ, pertinaciâ ita ut salvari possint, si de peccatis post Baptismum commissis verâ contritione doleant, & saltem sciant quæ de necessitate salutis sciri debent.

Ad 2 Resp. Parentes per baptismum non perdere quidem jus alendi & instruendi proles suas, usque ad adultam ætatem, sed illud infringi ad instructionem in fide, quam per Baptismum susceperunt, ratione cujus per suam aut aliorum susceptorum voluntatem, se, & consequenter suos liberos, jurisdictioni Ecclesiæ subdiderunt, quantum ad res fidei, & fidei Sacramentum.

TRAC-

## De Confirmatione

*Vtrum omnes fideles baptizati teneantur hoc Sacramentum suscipere.*

**D**E hoc dubio agit S. Thomas 3. p. q. 72. a. 1. ad 3. & dicit: *Omnia Sacramenta sunt aliquantulum necessaria ad salutem, sed quedam sunt sine quibus non est salus, quedam verò sunt quæ cooperantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo Confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non præmittatur ex contemptu Sacramenti. Et ibidem art. 8. ad 4. Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis p. 7. c. 3. dicit: Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur (nisi fortè propter contemptum) sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.*

Ex quibus inferitur 1. contra Durandum dist. 7. q. 1. a. 2. & Palud. ibidem quæst. 4. hoc Sacramentum non esse de necessitate salutis, sed

sed tantum cooperari ad perfectionem tam gratiæ, quam salutis æternæ.

2. Quod valdè grave sit hoc Sacramentum omittere ex contemptu.

3. Quod pueri morientes postquam confirmati sunt, per hoc majorem gloriam consequantur, ac proinde magnum detrimentum patiantur qui sine Confirmatione decedunt.

Quoad 1. Est communis sensus Ecclesiæ quod haberi possit salus sine Sacramento Confirmationis. Non enim potest ullum adferri præceptum aut Divinum, aut Ecclesiasticum, quo Sacramenti hujus susceptio absolutè mandetur. Imo nec ulla traditio, alioquin hoc deberet fidelibus intimari, uti alia Ecclesiæ præcepta & traditiones.

Objicitur tamen 1. Quod Apostoli maximè semper sollicitudine curarint ut fideles recentè conversi baptizarentur, unde colligitur hoc esse de præcepto, & quodammodo esse quandam traditionem Apostolicam. In primis act. 8. n. 14. statim ac Samaritæ suscepunt fidem, Apostoli miserunt Petrum & Joannem, qui cum venissent oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Omnes autem Sancti Patres intellexerunt per illam manuum impositio-

sitionem Sacramentum Confirmationis. Imo Act. 1. v. 4. insinuatur præceptum quod Apostoli habebant ad expectandum adventum Spiritus sancti, ut per ipsum Confirmarentur: *Et convalescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. &c.*

Resp. Ex duobus illis locis nullum inferri posse præceptum; non quidem ex primo. Quia ex illa sollicitudine Apostolorum solum colligitur utilitas hujus Sacramenti, imo quædam necessitas pro illo statu Ecclesiæ, propter imminentes persecutiones, quas Christus Dominus prædixerat. Ex 2. loco solum habemus quod præceptum fuerit à Domino Apostolis ut simul manerent, donec modo illo extraordinario acciperent Spiritum Sanctum, qui illos in gratiâ confirmaret ad arduum opus Apostolicum. Vel prout respondet Lessius in opere posth. 3. part. quæst. 72. art. 8. dub. 2. ut acciperent gratias gratis datas, quibus indigebant ad prædicandum per mundum universum, ut sic magis idonei redderentur ad munus suum exequendum.

2. Objicitur illud Urbani Papæ Epist. 1. decretali ubi dicit. *Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Magna autem est obligatio facere illa quæ requiruntur ut fideles pleni Christiani fiant. Accedit etiam præclara auctoritas Melchias

dis Papæ ad Episcopos Hispaniæ, ubi sic scribit: *In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum verò confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur; Et quamvis transituris sufficiant regenerationis beneficia, victurus tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Ex quibus verbis manifestè constat Confirmationis Sacramentum esse necessarium illis qui post Baptismum superviunt Nec refert impudens calumnia Calvini, qui lib. 4. instit. c. 19 §. 10. quâ illum S. Pontificem vocat os sacrilegum. Magis enim credendum est S. Augustino qui Epist. 162. egregiè ipsum laudat, & Ecclesiæ quæ scripta ipsius maximi facit & ipsum tamquam præclarum Mārtirytem colit.

Responderetur. Verba Urbani non sic debere intelligi quasi sine confirmatione fideles non sint veri & perfecti Christiani, per gratiam habitalem acceptam in Baptismo; sed quia per Confirmationem abundantior gratiam accipiant; sicut etiam intelligi debet S. Cyprianus lib. 1. Epist. 12. ubi dicit; *Vngi quoque necesse est eum qui baptizatus est, ut accepto Chrismate, id est unctione, esse unctus Dei & habere in se gratiam Christi possit.* Alludit enim tam ipse quàm Urbanus Papa ad Chrisma unde derivatur nomen Christianum.

Ad auctoritatem verò Melchiadis respondeo ipsum alludere ad antiquum morem Ecclesiæ, quæ solebat hoc Sacramentum statim post

post Baptismum conferre. Quâ consuetudine Vigente non erat conveniens unum sine altero dari, & uno recepto non statim alterum sibi procurare, nisi fortè mors interveniret. Dicit autem victuris hoc Sacramentum esse necessarium, non necessitate absolutâ, sed ad melius esse. Et maximè propter Ecclesiæ pro illo tempore consuetudinem. Semper tamen lethale peccatum est hoc Sacramentum ex contemptu omittere. Quamobrem graviter culpatur Novatus hæreticus, quod cum in lecto decumbens baptizatus fuisset, non receptâ Confirmatione ipsam postea negligeret. Et ut negligentiam suam excusaret, negavit homines post Baptismum inungendos esse Chrismate, ut refert Eusebius lib. 6. cap. 35. ex Epistolâ Cornelij Papæ. Et sic suo factò Novatus hoc Sacramentum censebatur contemnere.

## ARTICULUS II.

*Vtrum mortale peccatum sit hoc Sacramentum negligere tempore persecutionis.*

Certum est quòd regulariter sit peccatum veniale hoc Sacramentum negligere, dum haberi potest. Tum propter

ter detrimentum abundantioris gratiæ, tum quia homo se exponit sine illo multis tentationibus, & illusionibus diaboli: unde rectè monet Sylvius 3. pag. quæst. 72. ad art. 8. quod si sollicitiores essent fideles ad susceptionem Confirmationis, non tot sortilegas, aut veneficas & magas sæculum nostrum experiretur, qui enim, inquit, huius Sacramenti effectum non perceperunt, Diabolo facilè subiunguntur, non habentes hoc robur, quo facilius ipsi resistent: ordinatur enim principaliter quidem contra hostes visibiles, tamen secundariò contrainvincibiles.

Ad propositum verò nostrum dico satis probabile esse illam negligentiam esse mortalem tempore persecutionis, & præcipuè illis qui versantur inter hæreticos, ubi quotidiana sunt pericula perversionis, cum ad hoc per se primò hoc Sacramentum sit institutum.

Sic tenet Sylvius ubi supra, & est sententia multorum Antiquorum, præsertim Durandi in 4. dist. 7. quæst. 1. Turcremata c. 1. de consecrat. dist. 5. Et Waldensis & Paludani quæst. 2. Et Petri de Soto in aureo suo tractatu de institutione Sacerdotum.

Ratio autem est. Quia magna est temeritas, & præsumptio de suis viribus, negligere hoc tam exquisitum munimen tempore, & loco persecutionis, quo periculum esset aut fidem abnegandi, aut erubescendi confiteri quando opus esset.

Imo

Imo censi deberet talis negligentia virtutis contemptus illius Sacramenti, ad illum finem singulariter instituti. Unde Sanctus Cyprianus Epist. 54. ait: *Contra rationem est sine armis ad pugnam accedere.*

Hoc etiam videntur convincere argumenta præcedenti articulo objecta, maxime illa tanta sollicitudo Apostolorum, pro Confirmatione fidelium recenter conversorum. Et expectatio adventus Spiritus antequam Apostoli se persecutionibus auderent exponere. Per hoc autem Sacramentum gratia Sancti Spiritus ad eundem finem conferitur. Ac proinde hoc planè videtur necessarium esse illis qui continuò versantur inter hæreticos, aut illorum persecutionibus exponuntur.

## ARTICULUS III.

*Vtrum conveniens sit, pueros confirmari ante usum rationis, in locis missionis.*

**I**N primitivâ Ecclesiâ pueri statim post Baptismum confirmabantur, uti testatur Tertull. de Baptismo cap. 7. & 8. Et Rabanus lib. 1. instit. Cleric. cap. 10. Alcuinus de Ecclesiast. Officiis c. de Sabbatho sancto. Et omnes

omnes Ecclesiastici Historici illius temporis, præcipuè Baron. ad an. 371.

Hujus consuetudinis potissima ratio erat, quia magnæ tam pueris, quàm adultis imminabant persecutiones. Tum etiam quia extra mortis periculum tam parvulis, quàm adultis bis tantum in anno, videlicet in Paschate & Pentecoste conferri solebat Baptismus, quibus temporibus adesse solebant Episcopi (qui tunc pauci erant) & hæc occasione statim post Baptismum offerebantur pueri confirmandi. Postmodum verò aucto numero fidelium, & cessante persecutione, introductum fuit baptizare omni anni tempore, quia tunc non semper aderant Episcopi. Et sic cœptum est differre Confirmationem ad tempus magis commodum Episcopis. Tandem etiam mos invaluit expectare usque ad plenum usum rationis, qui cum regulariter incipiat haberi circa septimum annum, eo usque differebatur; tum ut majori cum fructu, scilicet per proprios actus disponderentur, cum cognitione tanti Sacramenti; Tum ut melius susceptæ Confirmationis recordarentur, ne per oblivionem contingeret bis confirmari, quod est illicitum, propter impressionem characteris. Nihilominus tamen prudenter potest illud tempus præveniri, maximè si usus rationis illos annos præveniat.

2. Ut accipiat opportunity dum adest Episcopus, quæ alioquin non tam citò offerretur.

&c

& ideo consuevit hoc fieri tempore, quo Episcopus diœcesim suam personaliter visitat.

3. Si pueri sint valetudinarii, ac proinde timetur quod ad dictam ætatem non sint victuri, ne sic priventur illo gratiæ augmento, & consequenter etiam gloriæ.

4. Ubi talis est mos Ecclesiæ ut nullâ consideratâ ætate confirmentur; melius tamen quando nihil obstat, differtur, ut sicut dictum est majori cum fructu per propriam dispositionem, & actualem devotionem suscipiatur.

In locis autem missionis inter infideles & hæreticos convenienter in quacumque ætate, habitâ occasione conferendum est hoc Sacramentum, tum quia unicuique tantum Episcopus non potest multoties circuire omnes pagos, nec pueri possunt in magno numero convenire propter pericula, & persecutiones. Tum vel maximè quia in illis locis, uti supra dictum est, major est necessitas, ut præveniantur hoc spirituali robore; quia etiam ante plenum usum rationis facillè pueris instillantur errores, qui dum ad annos discretionis perveniunt, fortiter inhaerent; ac proinde bonum est ut tempestivè confirmentur pueri augmento gratiæ huic Sacramento propriæ, quod ad robur animi præcipuè in fide est institutum. In hoc sunt quodammodo in statu primitivæ Ecclesiæ, in quo statim post Baptismum conferebatur. Utinam autem fideles in missione eundem etiam haberent fervorem, qui in illo

N

primo

primo statu, in quo tot fuerunt martyres, in qualibet ætate vigeat. Nec refert quòd majori cum fructu suscipiatur per propriam dispositionem, melius est enim illud gratiæ augmentum certò habere, licet in minori intentione, quàm per periculofam dilationem sæpè illo carere, aut exponi discrimini perversionis. Parentum autem est & Patrinorum pueros post usum rationis memores reddere hujus Sacramenti suscepti, ne per ignorantiam iteretur.

Advigilent igitur tam Pastores quàm Missionarij ut bene inculcent parentibus, quàm magnæ utilitatis sit, imo necessitatis in illis partibus, pueros tempestivè tradere confirmandos.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Sacramentum Confirmationis præcedere debeat alia Sacramenta.*

**D**E Baptismo nulla est difficultas, cum ipse sit janua omnium Sacramentorum, ac proinde præcedere debet tam hoc Sacramentum, quàm reliqua.

De Eucharistia verò idem videtur tenere Dominicus Soto in 4. dist. 1. q. 6. art. 2. ad 3. licet

licet non clarè hoc habeat, ab aliquibus tamen pro illa sententia citatur. Fundamentum autem illius sententiæ sibi objicit S. Thomas 3. p. q. 65. a. 2. Eucharistia est spirituale nutrimentum, Confirmatio autem comparatur augmento. Nutrimentum autem est causa augmenti, & per consequens prius eo. Ergo Eucharistia præcedere debet Confirmationem. Respondet S. Doctor. *Ad tertium dicendum, quòd nutrimentum & præcedit augmentum sicut causa ejus, & subsequitur augmentum sicut conservans hominem in perfecta quantitate & virtute, & ideo potest Eucharistia præmitti Confirmationi, ut Dionys. facit in lib. Celest. Hierarch. c. 3. & 4. Et potest postponi sicut Magister facit in 4. sententiarum dist. 7. & 8.*

Alij autem se fundant in ritu primitivæ Ecclesiæ, quando etiam pueris statim post Baptismum dabatur S. Eucharistia, etiam longo tempore, quando Confirmatio differebatur. Sed nec ex hoc aliquid coavincitur, quia sicut dictum est, etiam solebat Confirmatio dari simul cum Baptismo, & post illā S. Eucharistia, ut magis credibile est, utrumque autem jam abolevit, nec enim amplius Confirmatio, nec Eucharistia datur statim post Baptismum. Et regulariter Confirmatio confertur diu ante S. Eucharistiam, quæ propter dignitatem deferri solet non tantum ad annos usus rationis, sed ad annos perfectæ discretionis. Absolutè tamen potest aliter fieri; Sacramentum

enim Confirmationis non est omnino necessarium, sicut est Eucharistia, ac proinde hæc sumi potest, non susceptâ Confirmatione.

Major difficultas est de Sacramento Ordinis propter decretum Conc. Tridentini sess. 23. c. 4. de Reform. ubi dicitur: *Primâ tonsurâ non initiuntur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*, Sed passim omnes Doctores negant in illis verbis contineri præceptum aliquod, nisi fortè directum ad Episcopos ordinantes qui eâ in re debent ad vigilare, quos puto graviter peccare si aliter fecerint.

Obijcies: Per susceptionem Ordinis saltem Diaconatus & Sacerdotij ordinatus fit quodammodo dux militiæ Christianæ, cum autem per characterem Confirmationis fideles fiant milites Christiani, videtur incongruum aliquem fieri ducem militiæ, antequam miles sit. Resp. Hinc tantùm sequi incongruentiam aliquam, quam libenter admittimus.

---

## ARTICULUS V.

*Utrum amentes Confirmandi sint.*

**D**istingendum est de amentibus perpetuis, qui numquam ad usum rationis pervenerunt,

pervenerunt, nec regulariter unquam perventuri sunt. Et de amentibus qui post habitum usum rationis in amentiam inciderunt.

Quoad primos tenet Soto 4. dist. 7. q. 1. a. 8. §. *Enascitur* ex Marfilio, tales non esse confirmandos, licet, si confirmentur, sit validum Sacramentum; & in hoc fundatur quod numquam possint gratiâ Confirmationis in fidei confessione fungi. Præterquam quod magna videatur esse irreverentia.

Aliter tamen tenendum est; videlicet quod etiam illi confirmari possint; Tum quia nullam jus extat quo hoc prohibeatur. Tum quia saltem capaces sunt illius augmenti gratiæ habitualis cui major gloria in cælis correspondebit. Tametsi numquam illo augmento per aliquem actum confessionis fidei uti poterunt. Nec est major irreverentia in ipsis ad hoc Sacramentum, quàm in pueris erat quando olim statim post baptismum confirmabantur.

Quoad alios amentes qui usum rationis habuerunt, etiam dicendum est, quod conferri possit, licet etiam ante amentiam hoc non petierint, dummodo non fuerint infideles ante amentiam. Quia quicumque fidelis censetur velle interpretativè omnia ordinaria salutis subsidia, licet dum possent, illa non expressè petierint. Sicut sæpè contingit in extrema unctioe, quæ datur infirmis in phrenesim lapsis, licet etiam nullatenus petierint, aut de illâ cogitaverint.

## ARTICULUS VI.

*Virum requiratur Patrinus qui confirmandum suscipiat.*

**R**esp. Affirmativè. Quod probatur ex antiquissimâ Ecclesiæ consuetudine & præcepto, ut patet ex c. *in Catechismo* per Higinum Papam. Et sequenti c. *non plures* per Leonem Papam. Et S. Thomas 3. p. q. 72. art. 10. in arg. sed contra citat Innoc. Papam c. *si quis ex uno* ubi dicitur: *si quis ex uno conjugio filium, aut filiam alterius de sacro fonte susceperit, aut ad Chrisma tenuerit &c.* Unde infer: ergo sicut requiritur quod aliquis baptizatum de sacro fonte levet, ita debet aliquis teneri ad Sacramentum Confirmationis accipiendum.

Ratione etiam probat in corp. *Hoc Sacramentum exhibetur homini ad robur, pugna spiritualis, sicut autem aliquis de novo natus, indiget instructore in his quæ pertinent ad conservationem vite, secundum illud Heb 12 Patres quidem carnalis carnis nostræ habuimus eruditores, & verebatur eos; Ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditioribus à quibus instruuntur de his quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituntur*

*Duces*

*Duces & Centuriones per quos alij gubernentur. Et propter hoc etiam ille qui accepit hoc Sacramentum ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus, similiter etiam quia per hoc Sacramentum confertur homini perfectio spiritualis status (sicut dictum est) ideo ille qui ad hoc Sacramentum accedit, sustentatur, quasi ad hoc spiritualiter imbecillis & puer.*

Peccaret proinde mortaliter, qui Patrinum non adhiberet: eò quod ageret contra antiquam & semper observatam consuetudinem Ecclesiæ Nisi fortè (conformiter ad supradicta de Baptismo) non inveniretur alius quam hæreticus, qui ad istud munus omnino est incapax. Non enim aptus est esse instructor veræ fidei, qui ab illâ transfuga est per hæreticam pravitatem.

Requiritur præterè ut Patrinus sit confirmatus, prout habetur c. *In Baptismate*. Ubi dicitur *in Baptismate vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum ipse qui non est baptizatus vel confirmatus*. Et expressè sic ordinatum est in Pontificali Romano, quòd non confirmatus non possit esse Patrinus in Confirmatione. Quod etiam ratio videtur suadere, non enim instructor potest congruè esse in militiâ Christianâ, qui in eadem ipse non est miles ascitus. Ac proinde graviter peccaret, qui contrarium faceret.

Tenetur autem Patrinus confirmatum in fide instruere, cum ad illum finem specialiter



assumatur, Nisi hoc à parentibus, aut tutoribus, aut aliis suppleretur.

Contrahitur spiritualis cognatio eo modo quo in Baptismo, conformiter ad Conc. Trid. sess. 24. c. 2. videlicet inter Patrum & Confirmatum, ejusque Patrem & Matrem. Et hoc licet Patrinus non fuerit confirmatus, dummodo sit baptizatus, quia per solum Baptismum factus est capax spiritualis cognationis.

Tametsi autem non conveniat eundem esse Patrum Baptismi & Confirmationis, fieri tamen id potest si necessitas urgeat, ut habetur c. *In Catechismo* supra citato *In Catechismo*, & *in Baptismo*, & *in confirmatione*, unus Patrinus fieri potest si necessitas cogit, non est tamen consuetudo Romana.

Unum autem & non plures adhibendos esse colligitur ex Conc. Trident. ubi sup. cap. 2. dicens *Tenentem* in singulari, postquam pluraliter de Patrinis Baptismi fuisset locutum.

## ARTICULUS VII.

*De Cæremoniis quibus Ecclesia utitur in collatione Confirmationis.*

**N**olo hic agere de illis Cæremoniis quæ adhibentur in consecratione Chrismatis,

tis, quæ ab Episcopis sit in cænâ Domini, quæ licet ab hæreticis derideantur, plenæ tamen sunt mysteriis quæ tam à Suarez 3. p. q. 72. a. 12. Et à Bellarmino tomo 3. de Sacramento Confirmationis c. 13. quàm ab aliis Doctoribus latè describuntur. Solum autem agam de illis quæ in ipsâ Confirmatione adhibentur. Pastores autem & Missionarij præviè ante tempus quo ab Episcopo conferenda est, populum instruant, ut majori utilitate & devotione omnia exerceantur.

Solum autem utar verbis Angelici Doctoris 3. p. q. 72. a. 9. ubi sic discurre: *In hoc Sacramento homo accipit spiritum sanctum, ad robur spiritualis pugnae, ut fortiter etiâ inter adversarios fidei, Christi fidem constiteatur. Vnde convenienter signatur Chrismate signo crucis in fronte, propter duo. Primum quidem; quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis. Quod quidem debet esse evidens & manifestum: Inter omnia autem loca corporis humani, maximè frons manifesta est, quæ quasi numquam obtegatur, & ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstrat se esse Christianum, sicut & Apostoli post acceptum spiritum sanctum, se manifestaverunt, qui prius in canaculo latebant. Secundo quia aliquis impeditur à liberâ confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem & verecundiam. Vriusque autem signum maximè manifestatur in fronte propter duo; scilicet propter propinquitatem*

imaginationis, & propter hoc quod Spiritus à corde directè ad frontem ascendunt. Unde verècundati erubescunt, timentes autem pallefcunt, ut dicitur. Ethic. 4. Et ideo in fronte signatur Chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescenciam nomen Christi confiteri prætermittat.

Sequuntur deinde preces. Et datur confirmato pax, in signum acceptæ gratiæ Spiritus sancti, cuius effectus est pax.

Uterius Episcopus leviter cædit Confirmatum in maxillâ, & dicit ipsi: *Pax tecum* quo significatur quod armare se debeat confirmatus, ad injurias pro Christi fide fortiter perferendas.

Vitta autem linea quâ frons confirmati obligatur, ad alium nullum finem deservit, quàm ad reverenciam S. Chrifti, ut non temerè abstergatur aut abluatur, sed exsiccentur. Quæ Cæremonia omninò servanda est, ut insinuat S. Thomas 4. dist. 7. q. ult. art. ult. Circa tempus autem illam sic gestandi, nihil determinatum est. Ac proinde servanda singularum Ecclesiarum consuetudo.

Omnes prædicti ritus seu Cæremoniæ non sunt quidem de necessitate Sacramenti, servandæ tamen sub peccato mortali, propter antiquam & semper servatam consuetudinem Ecclesiæ.

## ARTICULUS VIII.

*Virum Chrisma debeat singulis annis renovari.*

**H**Æc quæstio potest intelligi vel de necessitate præcepti tantum, vel de necessitate essentiæ, ita ut invalidè conferretur Sacramentum Confirmationis Chrismate veteri.

Pro quo opus est examinare quidnam de innovatione Chrifti ab Ecclesia decretum inveniatur. Citatur ab aliquibus c. *Presbyteri* de Consecr. & sequens c. *omni tempore*, sed in illis decretis nihil aliud habetur, quam quod Presbyteri sive Pastores debeant ante Paschæ solemnitate Chrismate petere, nullâ factâ mentione quòd hoc facere debeant singulis annis: nisi in Cõnc. Carthag. 4. c. 36. ubi sic habetur: *Presbyteri qui per Dioceses Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis, nec per juniorem Clericum, sed omni anno, aut per seipsos, aut per illum qui sacrarium tenet, ante Pascha solemnitate Chrismate petant.*

Clarissimè autem hoc expressit Fabianus Papa in 2. Epistola ad Episcopos Orientales quæ videri potest apud Carrança in Summa

Conciliorum pag. 18. & refertur c. *litteris vestris* dist. 3. de consecr. *Litteris vestris inter cetera insertum invenimus, quosdam religionis vestra Episcopos, à vestro nostroque ordine discrepare, & non per singulos annos in Cœna Domini Chrisma consecrere. Errant verò qui talia excogitant, & mente vesanâ potius quàm rectâ sentientes, hoc facere audent, sicut enim ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius S. Chrismatis consecratio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renovanda, & fidelibus est tradenda, quia novum Sacramentum est, & per singulos annos in jam dictâ die innovandum, & vetus in Sanctis Ecclesiis est cremandum: ista à Sanctis Apostolis & successoribus eorum accepimus, & vobis tenenda mandamus.* Ex quibus ut certum habemus, illam innovationem esse saltem de præcepto; ac proinde mortaliter peccaret, qui extra casum necessitatis veteri Chrismate uteretur.

Nihilominus non est de necessitate essentiae hujus Sacramenti. Tum quia hoc valde accidentale & extrinsecum est Chrismati, quod sit vetus plurium annorum, aut unius tantum anni: cum per hoc non perdat suam benedictionem seu consecrationem; res enim semel consecrata, manet sacra, quamdiu non corrumpitur.

Tum etiam quia Concil. Florentinum assignans materiam Confirmationis, tantum dicit

dicit quod sit Chrisma, nihil determinando quod novum debeat esse, eodem anno consecratum.

Ex verbis etiam Fabiani Papæ hoc colligitur, dum dicit: *Et vobis tenenda mandamus.* Nec dicit illos qui ab illis Episcopis Orientalibus per vetos Chrisma erant confirmati, esse denuò confirmandos, quod fieri debuisset, si novum Chrisma esset de essentia Sacramenti. Reprehendit autem solum illos Episcopos, quod ab ordine seu consuetudine Ecclesiæ discrepant. Superest videre quamnam sit necessitas, in qua licitum sit uti veteri Chrismate sine peccato.

Videtur autem quod hoc numquam sit licitum: si enim aliqua esset necessitas, esset quia non posset singulis annis balsamum haberi.

Sed hoc non sufficere colligi potest ex illâ Epistolâ Fabiani, quia (ut refert Caranza ubi sup.) illi Episcopi per hoc se excusabant quod non possent singulis annis balsamum reperire. Et nihilominus Papa illos arguit quod errarent, & vesanâ mente potius quàm rectâ sentirent.

Nihilominus judico illis locis remotissimis in quibus vel deficit Chrisma consecratum, vel per infideles ablatum est, aut non invenitur in aliquo casu balsamum, nec aliunde haberi potest longo tempore: licitè posse uti Episcopum veteri Chrismate, ratio est: quia solum obstat præceptum Ecclesiæ, quod in

Casu gravissimæ necessitatis non obligat, uti nec alia ejus præcepta. Nec refert quod Sacramentum Confirmationis non sit de necessitate medii ad salutem: Quia ut supra diximus in locis ubi degunt Catholici inter hæreticos aut alios infideles, est valde necessarium pro firmitate in fide. Qui casus fortè non erat in illis partibus Orientalibus de quibus Fabianus Papa agebat. Aut erat negligentia illorum Episcoporum, quod suo tempore balsamum non procurarent.

Utrum autem balsamum pertineat ad essentiam materiæ hujus Sacramenti, multi negant, videlicet Cajet. 3. p. q. 72. a. 2. Et Soto in 4. dist. 7. q. 1. a. 2. Victoria de Confirmatione n. 41. Estius in 4. dist. 7. §. 8. Et multi alii quos citat & sequitur Verricelli de Apost. Miss. q. 127. a. 8. ubi latè hoc tractat, unde tam propter tot Doctorum auctoritatem, quàm propter rationes quas afferunt, hoc est probabile. Probabilior tamen & tutior est contraria, quæ conformis est S. Th. 4. contra gent. cap. 60. & in 4. dist. 7. q. 1. a. 2. quæst. 2. Et 3. p. q. 72. a. 2. Et est Paludani in 4. dist. 7. q. 1. a. 2. Bellarmini, Suarez, Petri Soto lect. 2. de Confirm. Silvii 3. p. q. 72. a. 2. Nugnus ibid. a. 3. Et Ledesma. Quorum potissimum fundamentum est in Conc. Florent ubi expressè pro materiâ Confirmationis ponitur Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, &

balsamo quod odorem significat bonæ famæ. Sic etiam habetur in Catechismo Romano confecto ex ordinatione Pontificis, conformiter ad Conc. Tridentinum.

## ARTICULUS IX.

*Quis sit Minister Sacramenti Confirmationis.*

**S**upponimus contra Cajetanum, Ministrum consecrationis Chriftimatis seu materiæ hujus Sacramenti, solum Episcopum esse. Quæ est expressa sententia S. Thomæ 3. p. q. 72. a. 3. ubi postquam pulchrè docuerat, cur aliquæ materiæ Sacramentorum requirant consecrationem, videlicet Confirmationis & Extremæ Unctionis & non aliorum videlicet Baptismi & Eucharistiæ, Ad 3. expressè dicit, *Et ad hoc materia Sacramenti consecratur, vel ab ipso Christo, vel ab Episcopo qui gerit in Ecclesiâ personam Christi.* Et ulterius inde hoc constat, quod non legatur quod Ecclesia in hoc unquam dispensaverit.

Agendum est igitur solum de Ministro collationis hujus Sacramenti. Certum autem est, quod ordinarius Minister sit Episcopus de quo dubitari non potest. Quod ostendit S. Thomas 3. p. q. 72. a. 11. ex Eusebio Papa c.

*manus*

manus dist. 5. de consecr. ubi dicitur: *Manus quoque impositionis Sacramentum, magnâ veneratione est tenendum, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab aliis quàm ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis quàm qui eorum tenent locum unquam perfici potest, aut fieri debet; nam si aliter presumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, & inter Ecclesiastica numquam reputabitur Sacramenta.* Hæc habet S. Thomas in arg. sed contra.

In corpore autem pulchram dat convenientiam, quam in ipso lector videre potest.

Nihilominus ex summi Pontificis commissione, à simplici Sacerdote conferri potest; quod ibidem docet S. Thomas ad 1. ubi dicit: *Papa in Ecclesiâ habet plenitudinem potestatis, ex quâ potest quadam quæ sunt Superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre Minores Ordines; quod pertinet ad potestatem Episcopalem, & ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur.* Verba autem Gregorij adducit in 1. argum. Et habentur c. Pervenit quoque, ubi dicitur: *Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros tangere Chrismate eos qui baptizati sunt, prohibuimus: & nos quidè secundum veterem usum Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si de hac re aliqui contristantur; ubi Episcopi desunt,*

*desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.* Historiam autem describit Baronijs ad an. 594. Sæpius autem id ipsum pro partibus Indiarum fuit concessum

Expressè etiam hoc confirmat Concil. Florentinum, in quo postquam decretum erat ordinarium ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum, dicitur: *Legitur tamen aliquando per Apostolica sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causâ simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto administrasse confirmationis Sacramentum.* Idem etiam colligitur ex Conc. Trident. sess. 7. de Confirm. can. 3. ubi dicit Ministrum ordinarium Confirmationis esse solum Episcopum. Non autem dixisset *Ordinarium*, si alius nullus posset extraordinarius esse ex delegatione Pontificis.

## ARTICULUS X.

*An Episcopus in partibus Missionis interdum etiam cum periculo vitæ Confirmationem conferre debeat.*

**C**ertum est quod sit obligatio Episcoporum sæpius Sacramentum Confirmatio-  
nis

nis conferendi in suis diocesisbus, cum ad hoc teneantur ratione officii sui, ac proinde graviter peccarent hoc negligendo Ita Suarez 3. p. q. 72. disp. 38. sect. 2. Et Sylvester v. Confirmatio, & alii. Quia cum sit Pastor, tenetur oves pascere non tantum in eis quæ absolute sunt necessaria ad salutem, sed etiam in his quæ notabiliter conducunt ad subditorum spiritualem utilitatem, & quæ ad hoc à Christo Domino sunt instituta; quæ proinde ab ipsis ovibus justè possunt desiderari, & à suo Pastore exigì, maxime cum ipse solus hoc Sacramentum conferre possit & hoc semel tantum, cum non possit iterari.

Tantò autem hæc obligatio major est, quantò major est hujus Sacramenti suscipiendi necessitas, nunquam autem major esse potest, quàm in partibus infidelium seu hæreticorum cum quibus conversantur, & propter illorum persecutiones & graviore tentationes; Quapropter supra docuimus, in illis locis non tantum hoc Sacramentum esse utile, sed planè necessarium.

Sæpè etiam contingit aliquos ad fidem converti, qui robore Spiritus S. indigent ut in fide perseverent. Imo hanc necessitatem vocat Verricelli quæst. 128. num. 7. quodammodo extremam, quia, inquit, quando rota aliqua communitas, regnum, aut Provincia versatur in magnâ necessitate, ista necessitas est extrema, respectu aliquorum. In extremâ autem,

autem, imo gravi necessitate incumbit Pastori succurrere ovibus, ponendo etiam animam pro ipsis, si ita opus fuerit, ne tanquam mercenarius fugiat, dum videt lupum venientem, quasi non pertineat ad ipsum de ovibus. Hinc facile colligi potest non esse timenda pericula saltem bonorum temporarium, aut exilii aut similibus.

Quærere proinde debet occasionem ut toties quoties commodè potest hoc Sacramentum administret, ut sic etiam pueri ad usum rationis pervenientes, hoc spirituali robore præmuniantur, contra falsas doctrinas & perversionem; Et adulti recenter conversi stabiliantur in fide.

Advertere etiam debent ut hoc Sacramentum debitâ cum reverentiâ conferatur, nec aliquid, quod usus Ecclesiæ quoad ritus & ceremonias exigat, omitatur. Monere etiam debet Episcopus Pastores & alios Missionarios ut tempestivè confirmandos instruant, ut hoc Sacramentum cum fructu percipiant.

## TRACTATUS VIII.

## De Sacrificio Missæ.

## ARTICULUS I.

*Qua necessitas requiratur ad celebrandum sapius eodem die.*



Uod extra casum necessitatis id non sic licitum, certum est, quia est contra usum & prohibitionem Ecclesiæ. S. Thomas 3. p. q. 83. a. 2. 5. adducit decretum Alexandri Papæ & habetur c. *sufficit*, ubi dicitur: *Sufficit Sacerdoti unam missam in die unâ celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit, & valde felix est qui unam dignè celebrare potest: quidam tamen pro defunctis unam faciunt, alteram de die si necesse sit. Qui verò pro pecunia aut adulationibus secularium unâ die præsumunt plures celebrare missas, non existimo evadere damnationem.* Hæc ultima verba bene notentur, ut videatur nullam esse necessitatem excusantem, quando ex solo humano respectu aut pecuniarum cupiditate binatur.

Alium

## DE SACRIFIC. MISSÆ. 303

Alium etiam textum citat S. D. extra de celebr. miss. c. *Consulmisti* ubi dicit Innoc. III. *Quod excepto die Nativitatis dominice, (nisi causa necessitatis suadeat) sufficit Sacerdoti unam Missam solummodo celebrare.* Cur autem hoc permittatur die Nativitatis videatur ibi S. Thomas.

Verum quidem est quod non tantum excipiat festum Nativitatis Domini, sed prosequitur: *Sicut etiam & in aliis diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel experienda, plures Missæ celebrantur in die, puta pro festo, & alia pro jejuniis, vel pro mortuis.* Tamen hoc jam obsoletum est, ut bene notat Nugno.

Inquirendum ergo est quæ necessitas requiratur. Et licet diversi diversos casus designent, præcipuus tamen necessitatis casus est raritas Sacerdotum, ut quando unus Parochus duplici communitati, aut duabus parochiis præficitur, quarum singulæ non sunt sufficientes ad unum Parochum alendum.

In partibus autem Missionis, hoc magis urget ob multitudinem fidelium, quam angusta illa loca in quibus celebrant, simul capere non possunt, tum etiam quia periculosum esset, tot simul convenire propter perfectionem Prætorum. Refert Verricelli tit. 4. q. 98. dub. 19. quod audiverit ex ore Excellentissimi D. Aloysij Contareni legati Veneti apud Regem Angliæ, quod Sacellanus suus

suus ex indulto Pontificio, soleret sæpius sexies de die celebrare, ad satisfaciendum Catholicis in illis locis.

Petes an adhuc censebitur locum habere ista necessitas, quando tanta est multitudo dõmorum in quibus secretò celebratur, & tanta copia Sacerdotum ut possent omnibus satisfieri, si populus divideretur, licet singuli tantum semel de die celebrarent Resp. Talem divisionem non posse congruè fieri, tum propter confusionem, tum propter satisfactionem populi qui uni potius loco afficitur quàm alteri.

Iterum petes an non sufficeret si illud privilegium binandi solùm datum esset Pastoribus seu propriis parochis quibus magis incumbit ex obligatione officii populo satisfacere?

Resp. Quod non: Durum enim esset illis afflictis fidelibus, quod cogentur illa potius loca frequentare, quàm alia, & cum possint eligere quemcumque confessarium & non tantùm illum qui specialiter ibi dicitur Parochus, incongruum esset si deberent in unâ domo vel sacello audire sacrum, & alibi habere confessarium cui assueti sunt. Ideo indiscriminatim sua Sanctitas omnibus Missionariis etiam Regularibus dedit facultatem binandi, dummodo sit necessitas, quæ non debet esse tanta, quanta requiritur in aliis partibus ubi nulla est persecutio.

Vera

Vera tamen etiam ibi debet esse necessitas, & quidem gravis, uti patet ex facultatibus nuper concessis à S. Congreg. de Propagandâ fide Reverendissimo Episcopo Castoriensi Vicario Apostolico in missionibus confederatarum Provinciarum, per litteras datas 28. Junii 1663. §. 16. ubi sic habetur: *Caveat verò ne prædictâ facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die, aliter, quàm ex gravissimis causis, & rarissimè utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quòd si hanc eandem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas eâ uendi, alicui quæ à S. Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serò ipsius conscientie injungitur, ut paucis dumtaxat, & que maturioris prudentiæ, ac xeli, & qui absolute necessarij sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, & ad breve tempus eandem communicet, aut respectivè causas approbet. Si ad eò restringatur hæc facultas pro ipsomet vicario, cui solent ampliores concedi facultates, Cavere sibi debent particulares Missionarii ne facilè concessâ sibi facultate binandi, sine gravi necessitate abutantur.*

Id quod dictum est de duplici celebratione unâ die, aliquando dici possent de pluribus, si tanta esset necessitas, quia jus commune hoc non restringit ad duplicem. Quia tamen Pontifex Missionariis tantùm concedit ut in necessitate bis celebrare possint, sine speciali indulto, non est hoc ulterius extendendum; nisi

per

per consuetudinem hoc alibi esset in praxi. Uti enim supra dixi de Sacellano Legati Veneti in Anglia, qui aliquando sexies celebrabat tempore maximè persecutionis, ad hoc speciale habebat S. Sedis permissionem.

Superest jam inquirere, an illa facultas binandi, se etiam extendat ad dies profestos; quando populus non obligatur ad auditionem Sacri.

Quam quæstionem expressè movet Eminent. Cardinalis Lugo in suis Responsis moral. lib. 1. dub. 12

Ratio autem dubitandi est, quia necessitas quæ esse poterat, est ut populus audiat Sacrum ad quod ex præcepto tenetur, profestis autem diebus non obligat ullum præceptum, ac proinde nullus est titulus necessitatis, quem tamen exigunt iura præsertim c. *Consulisti* uti supra ostendimus.

Noster Nugnus 3. p. q. 83. a. 2. tenet partem negativam, referens se ad contrariam consuetudinem Ecclesiæ.

Lugo tamen loco jam citato resolvit affirmativè citans pro se plurimos Doctores: videlicet: Suarez tomo 3. in 3. part. disp. 80. sect. 3. Philiarum de Offic. Sacerd. tom. 1. Ioannem de la Cruz in direct. p. 2. de Sacrific. Missæ diff. 3. Idem tenent Leander de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 5. q. 38. Dicastillus de Sacram. tomo 1. tract. 5. disp. 4. dub. 3. Castus Palaus, Amicus, & alij. Ratio au-

tem

tem est, quia non requiritur mera necessitas, sed sufficit gravis causa, quæ est quasi quædam necessitas, videlicet ne populus quotidiano Sacrificio Missæ privetur, quod maximè urget in illis locis, in quibus tanta est persecutio, ne ibi tanto solatio destituatur.

Ego hanc sententiam admitterem ut omnino probabilem, tamen non nisi cum sequentibus limitationibus. 1. Prout etiam ipse Suarez (hujus sententiæ quasi antesignanus) consulit, ut servetur consuetudo quæ in similibus magnam habet vim. 2. Ut satis magna sit multitudo populi hoc requirens; non verò si pauci sint, fortè tres vel quatuor divites, ob quorum respectum hoc fieret. 3. Ut sit casus, quòd non possint omnes primo sacro interesse licet enim diebus festivis quandoque hoc fieri non possit quando omnes tenentur Sacrum audire, aliis tamen diebus quando non est obligatio, rarò est tanta devotio, ut qui devotionem habent, non possint commodè omnes simul convenire. 4. Ut tantum fiat in locis ubi est magna persecutio, ratione cuius periculosum est, multos simul convenire. 5. Ut hæc omnia bene examinentur ab illis qui Missionariis præfunt, perpensâ bene gravitate causæ, & necessitatis.

ARTI-

## ARTICULUS II.

*Utrum aliquando liceat celebrare Sacerdoti non jejuno.*

**S**icut non est licitum communicare non jejuno, ita nec celebrare, eò quòd S. Missæ Sacrificium, communionem involvat

Aliqui tamen casus sunt in quibus id licebit, quando ita exigit reverentia tanti sacrificii, aut Sacramenti.

1. Casus est: Ad integrandum & perficiendum hoc Sacrificium. Ut si Sacerdos aliquis in missâ deficiat, & non sit alius ad manum, quam non jejunos, ipse poterit & tenebitur profèqui, & Sacramentum sumere. Quia magis obligat præceptum de integritate Sacrificii, quam de non communicando nisi jejunde, nec debet reverentia hujus Sacramenti & Sacrificii obesse, quod pro ejusdem reverentiâ est institutum; certum autem est quòd jejunium non ob alium finem sit institutum, quam propter hujus Sacramenti reverentiam. Quòd autem inceptum Sacrificium perfici debeat ab alio Sacerdote, si prior deficiat, mandat Conc. Tolet. 7. c. *Nihil*. Idem omnino dicendum est, si Sacerdos deprehendat in sumptione quòd loco vini aquam habuerit in calice: ad perficiendum quippe Sacrificium, licet per illius aquæ

aquæ sumptionem non sit amplius jejunos, nihilominus debet vinum calici infundere & consecrare & sumere. Similiter si post consecrationem inceptam recorderetur Sacerdos se aliquid comedisse vel bibisse, nihilominus debet perficere Sacrificium & sumere Sacramentum; ita his ipsis verbis habet S. Th. q. 83. a. 6. 2. Si autem illius recorderetur ante inceptam consecrationem, debet ab altari recedere, si id sine notabili scandalo fieri possit.

2. Casus est: Si contingat particulam Hostiæ consecratæ calici infusam, ita in fundo vel lateri calicis adhærere, ut non nisi iteratis ablutionibus, vel alio reverenti modo tolli & sumi à Sacerdote non jam amplius jejunos possit. Uti etiam à non jejuno sumi possunt reliquæ, sive parvæ sive majusculæ quæ supersunt, etiam post longam multi populi communionem datam immediate post absolutum Sacrum: tum quia illa sumptio censetur esse quasi morale aliquod complementum ejusdem spiritualis seu Sacramentalis convivii, ad quod jejunos accesserat; tum etiam quia hoc ad ipsius Sacramenti reverentiam spectat, ne illæ reliquæ corrumpantur, quando ob parvitatem suam non possunt decenter conservari. Sic passim tenent Doctores, & specialiter Cajet. tomo 2. Opusc. tract. 3. 3. de celebr. Missæ q. 1.

3. Casus est ad vitandam gravem aliquam irreverentiam extrinsecam, quæ contingere posset in occasione incendi, Aut (quod sæ-



pe natum est accidere in locis Missionis) si periculum esset quòd nisi Hostiæ consecratæ statim sumerentur, devenirent in manus hæreticorum, aut aliorum infidelium à quibus irreverenter tractarentur.

Præter hos casus inquiritur, an non liceret Sacerdoti non jejuno celebrare, ad consecrandam hostiam dandam in articulo mortis constituto. Solus Major citatur pro sententia affirmativâ dist. 9. q. 3. ubi multa alia habet nunquam ab Ecclesia recepta, v.g. quòd posset licitè in illo casu Sacerdos consecrare unam speciem sine alterâ, & absque eo quòd ipse Sacerdos sumeret Christi corpus, imò quòd celebrare posset, sine altari; quæ omnia tanquam omnino absurda reputanda sunt.

Respondetur igitur negativè; ita Sotus dist. 12. q. 1. a. 8. Palud. dist. 8. q. 2. a. 1. Victoria n. 83. Et alii. Licet enim solum sit præceptum Ecclesiasticum, ut celebrantes jejuni sint jejunio naturali, multùm tamen conducit ad reverentiam tanti Sacramenti.

Dices: Obligatio suscipiendi hoc Sacramentum in periculo vitæ per modum viatici, est juris divini, cum igitur aliud præceptum de jejunio sit tantùm juris humani; scil. Ecclesiastici, illud debet huic præferri. Resp. Jus divinum de sumendo viatico non obligare quando non adest materia, quæ est Hostia consecrata, ergo cum supponatur in hoc casu nullam esse conservatam Hostiam, & aliundè prohibi-

hibitum sit Sacerdoti non jejuno celebrare, liberatur æger ab obligatione in illo articulo communicandi, & Pastor uti & Missionarius viaticum administrandi.

Dices: 2. Potest in articulo mortis dari viaticum ægro, licet non jejuno; cur igitur non licebit pariter Sacerdoti non jejuno celebrare, ut viaticum possit administrare? Resp. disparitatem esse quia Ecclesia declaravit primum licere, non verò hoc secundum.

Tum quia regulariter in Ecclesiis conservantur Hostiæ consecratæ pro communionem infirmorum, ac proinde per accidens est, quando nulla extat conservata, quòd rarissimè contingit, imò graviter peccarent Parochi, nullas conservando pro occurrentibus casibus. Sæpè autem contingit quòd infirmitas subito ita ingravescat, ut non sit rûrum in alterum diem differre, & ideo major est ratio dispensandi, ut non jejunos viaticum sumat, quàm ut Sacerdos non jejunos celebret.

Tandem inquiritur utrum hoc saltem non licebit ad vitandum scandalum, videlicet in magnâ solemnitate, aut etiam in quocumque festo in quo est obligatio audire sacrum, & est maxima populi frequentia sacrum expectans. Sacerdos autem qui celebraturus erat infirmatur, aut ex inadvertentiâ aliquid cibi vel potûs sumpsit, nec alius haberi potest qui sit jejunos Magna autem turbatio erit in populo si sine sacro dimittatur?

Resp. Negativè : Ita Sylvester v. *Eucharistia* 3. n. 8. q. 6. ubi dicit non licere celebrare non jejuno propter quodcumque scandalum. Et Navarr. cap. 21. n. 53. dicens : Sacerdotem non posse celebrare non-jejunum, etiam ad ministrandum infirmo, nec ad vitandum scandalum, etiam jussu Prælati inferioris Papæ. Et hanc sententiam esse communem.

Præterquam quòd istud scandalum possit vitari, publicè declarando populo id quod evenit, & quod turbari non debeat, quia in tali casu ab obligatione audiendi sacri liberatur.

Objici potest contra omnia quæ in hoc articulo sunt dicta; quod etiam sibi objicit, & solvit S. Thomas 3. p. q. 80. a. 8. Christus Dominus hoc Sacramentum instituit post coenam Paschalem, quando Apostoli quibus hoc distribuebat non erant jejuni, sed fideles se debent primæ institutioni factæ per Christum conformare, ergo & Sacerdotes poterunt non jejuni celebrare, & fideles communicare.

Ad hoc Argumentum respondet S. Thomas ad 1. ex S. August. tomo. 2. Epist. 118. ad Januarium c. 6. *Neque quia post cibos Dominus dedit, propterea pransi aut cenati fratres ad hoc Sacramentum accipiendum accedere debent, aut mensis suis miscere, sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat. Namque Salvator quò vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit artius insigere cordibus, & memoria discipulo-*  
rum.

rum. Et ideo non precepit quod deinceps tali ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc modum. Et in eodem capite ante med. ad ostendendum quâ auctoritate id postea Ecclesia per Apostolos sic ordinaverit, dicit : *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, prius in os Christiani Corpus dominicum intraret quàm ceteri cibi.* Quæ verba adducit S. Thomas in arg. sed contra.

## ARTICULUS III.

*Vtrum dubius, an sit jejunus celebrare possit, aut communicare.*

**H**Oc dubium multis modis potest contingere. 1. Dum dubitat aliquis an audita esset hora duodecima noctis, quando cibum aut potum sumpsit. 2. An lavando os aliquam guttam aquæ absorbuerit. 3. Utrum reliquias dentibus à præcedenti die inhaerentes, ante communionem deglutiverit. 4. Si pro curandâ raucedine aut simili causâ vesperi Saccharum ori imposuerit. & dubitat an aliquid illius post mediam noctem in stomachum transmiserit. Antequam ad hos & similes casus quidquam resolvatur specialiter, præmittenda est resolutio in communi ad propositum quæsitum articuli.

Joannes Sanchez in suis selectis disput. 42. latissimè agit de hac quæstione, & respondet affirmativè quòd dubitans an sit jejunus, possit securè communicare Quem sequitur Diana p. 3. tract. 4. resol. 29. & Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. n. 36.

Fundamentum aut. Sanchez est: *Quia in dubiis melior est conditio possidentis*, in casu autem nostri quæsti possessio est pro libertate celebrandi seu communicandi. Ac proinde propter solum dubium de suo jejunio, non est quis privandus suâ possessione, & consequenter poterit communicare.

Respondetur tamen negativè; dummodò verè dubium sit, & non solum scrupulus, & malè fundata inquietudo: non est enim fumen- da dubitas ex subjecto seu persona dubitante, sed ex fundamento dubii. Hanc sententiam plurimi tenent Doctores, præcipuè Thomas, Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 41. n. 40. Fagundez, Villalobos & alii.

Ratio autem desumitur ex alia regula juris: *In dubiis tutior pars est eligenda*. Quod principium optimè explicat Julius Mercorus Ord. Præd. in nuperrimo libello suo dicto Bassi totius Theologiæ moralis, sive Praxis opinionum limitata. parte. 2. a. 9. ubi docet, illud esse tutius quod minus habet periculi Deum offendendi, & quod magis conducit ad perfectiorem finem. Atqui in nostro casu minus est periculi offendendi Deum, si commu-  
nio

nio tunc omitatur, & hoc ad perfectiorem finem conducit, ergo illa pars est eligenda, & tutius erit celebrationem & communionem omittere. Min. prob. quoad 1. partem, omit- tendo communionem in tali casu, nullum est periculum offendendi Deum, periculum autem magnum est si communicet illicitè, videlicet contra præceptum Ecclesiæ. Et quoad 2. part. Pr. præceptum de non communicando nisi jejunè datum est in reverentiam tanti Sacramenti, quod est magnum bonum prævalens usui libertatis communicandi, ergo est hoc tanquam tutius eligendum,

Dices contra 1. partem quòd non sit periculum offendendi Deum in eo qui probabilem sententiam sequitur, sed non videtur posse negari quin hoc sit probabile propter auctoritatem Doctorum contrariæ sententiæ, eorumque fundamentum. Respondetur, Quidquid sit de probabilitate sententiæ, utrùm semper sit licitum illam sequi, de quo videatur præfatus Julius Mercorus. Sætem non potest dici quòd quamdiu aliquid est tantum probabile, quòd sit certum, & sic manet dubium de certitudine, & sic reditur ad prius. Dato etiam quòd non sit periculum formaliter offendendi Deum, semper tamen est periculum materialis transgressionis præcepti Ecclesiæ si illa non sit mens Ecclesiæ, aut illa sententia non sit vera, Transgressio autem etiam tantum materialis præcepti aut legis, non potest Deo

placere. Ergo non id quod probabile est, sed id quod tutius est sequi oportet.

Dices etiam contra 2. partem: fieri potest quod major sit reverentia Dei, in aliquibus casibus dubii jejunii celebrare, quam non celebrare, v. g. in casu supra posito, si celebrandum sit in die festo coram frequenti populo Sacrum expetente, si non sit alius ad manum qui sit jejunus.

Resp. Si verum esset quod tunc major esset reverentia sic celebrare, quam non, & ideo hoc permitti deberet; idem dicendum esset in casu præcedentis articuli, quando quis certus est quod non sit jejunus: quod tamen non admitteret opposita sententia. Dicimus ergo quod major sit reverentia non communicare aut celebrare cum tali dubio, quam cum illo celebrare propter devotionem populi, qui tunc ad audiendum sacrum non obligatur, quia hæc reverentia est quodammodo extrinseca, & eadem esset in die feriali quando nulla est obligatio audiendi sacrum; quia sicut dixi, etiam in die festo non est obligatio, quando non est sacerdos certus de jejunio. Reverentia autem prima quæ consistit in non celebrando cum tali dubio, est quodammodo intrinseca respiciens ipsum Sacramentum.

Ad fundamentum Joannis Sanchez Resp. illam Regulam juris: *In dubiis potior est conditio possidentis*, solum habere locum in materiâ justitiæ, uti tenent plerique Doctores, quos

quos sequuntur Vasquez 1. 2. disp. 65. Corduba in Sum. q. 147. Montesimo 1. 2. disp. 29. q. 4. n. 112. Et tandem hoc clarissimè ostendit Iulius Mercorus ubi sup. p. 2. art. 29. Dato etiam quod ita esset quod istud principium, uti multi tenent, se extenderet etiam ad alias virtutes, quodnam est fundamentum dicendi, quod libertas communicandi, in nostro casu majorem habeat possessionem, quam præceptum de non communicando, nisi quis sit jejunus? Ac proinde facilè ipsorum fundamentum retorquebitur.

His præsuppositis facilè responderi poterit ad casus in principio hujus articuli propositos. Ad 1. quippe patet ex dictis, quod quamdiu cum fundamento dubitatur de horâ duodecimâ nocturnâ, non possit eodem die celebrare, si post illam dubiam horam aliquid sumpserit.

Ad 2. & 3. responderet S. Th. 3. p. q. 80. a. 8. ad 4. *Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, si casualiter trajiciantur, non impediunt sumpcionem hujus Sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum saliva; Et eadem est ratio de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magnâ quantitate, sed permixta saliva, quod vitari non potest.*

Ad 4. Responderet sicut ad 1. Nec eadem ratio est in 2. & 3. casu; Quia distillatio seu resolutio sachari non est per modum saliva, sed per modum successivæ manducationis, ac

proinde dum quis dubitat an torum sacharum ante mediam noctem transmiserit in stomachum, debet à communione abstinere. Sitamen consumptâ substantiâ ante illud tempus remaneat aliqua dulcedo in ore, non nocebit, quia sic confunderetur cum salivâ.

## ARTICULUS IV.

*Verùm infirmus sæpius communicare possit non jejunos?*

**Q**UOD infirmis in periculo mortis dari possit viaticum non jejunis, continuus usus est & praxis Ecclesiæ, de quo nulla potest esse dubitatio. Sed inquiritur utrùm hoc sæpius fieri possit in eâdem infirmitate.

Aliqui hoc quidem admittunt, sed requirunt certum spatium temporis intermedium, quod alii limitant ad octo, alii ad sex, quidam etiam ad tres dies: sed illa limitatio caret fundamento.

Respondetur igitur propositæ quæstioni: omnino esse probabile quòd sæpius dari possit communicio infirmo non jejuno, in eâdem infirmitate; si interveniat notabilis aliqua variatio, & iterum reincidat in novum mortis periculum, & hoc toties quoties talis variatio contingit; quia tunc censetur adesse quasi nova

ægritudo, & nova necessitas, ratione cuius id primâ vice licitum fuerat. Nec enim credi potest quòd pia Mater Ecclesia destituere velit infirmos tali solatio, & spiritali subsidio, quo in illo statu maximè indigent, propter multa quæ tunc possunt occurrere, quæ necessitatem istam notabiliter augment; v.g. tentationes, & peccatorum pericula, ad quæ superanda hoc auxilio maximè indigent. In tali autem statu difficile esset, si præter unicum vicem requiretur, ut non nisi jejuni hoc Sacramentum possent suscipere. Deinde in Conc. Constant. sess. 13. dicitur in casu infirmitatis posse Euchari- stiam dari non jejuno, ergo cum non limitet ad unicum tantum vicem, non est fundamentum limitandi dummodo notabile periculum perseveret.

Majus adhuc aliquid & non improbabili- ter concedit Layman lib. 5. tract. 4. c. 6. n. 20. Quod si talis infirmus assuetus sit tem- pore sanitatis reuenter communicare propter devotionem, ac multum ipsi sit sensibile Sacrà communione diu privari, permitti possit ut altero statim die post sumptum viaticum, iterum communicet non jejunos; dummodo mortis a tunc omnino videatur appropin- quare.

## ARTICULUS V.

*Vt: um aliquando possit Sacerdos celebrare sine ministro.*

**F**uerunt aliquando aliqui qui non unum tantum, sed plures etiam ministros requirebant: fundantes se in decreto Soteri Papæ qui c. hoc quoque de Consecr. dist. 1. sic habet: *Hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum missarum solemnia celebrare presumat, nisi duobus presentibus, sibi que respondentibus, & ipse tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur Dominus vobiscum, & illud in secretis, Orate fratres, aptissime convenit, ut ipsius respondeatur salutationi.*

Sed hoc decretum, & si quæ alia olim fuerint de pluralitate ministrantium, aut intelligi debent de solemnibus celebratione, & publicâ cum cantu; aut si intelligenda sint de Missis privatis, jam per contrariam consuetudinem & praxim totius Ecclesiæ abrogata sunt.

Quod tamen unus saltem minister sit necessarius, satis constat, tum ex ratione dicti decreti; tum ex cap. *Proposuit nobis* in fine: *non enim solus Presbyter Missarum solemniam, vel alia divina officia potest sine ministri suffragio celebrare.*

Etiam S. Thomas 3, p. q. 83. a. 5. ad 12. Post-

Postquam attulisset verba relata Soteris Papæ, illa etiam interpretando de missis solemnibus; tandem concludit: *In Missis tamen privatis sufficit unum habere ministrum, qui gerit personam totius populi Catholici, ex cuius personâ Sacerdos pluraliter responderet.*

Quibus præmissis; in præsentem inquiritur utrum hoc ita indispensabiliter sit necessarium, ut in nullo casu celebrare liceat missam privatam sine ministro?

Bonacina de Sacram. disp. 4. q. ult. p. 9. n. 33. asserit id sine peccato mortali fieri non posse. Et similiter Fernandez in exam. Theol. p. 3. cap. 5. §. 4. n. 8.

Alii tamen Doctores admittunt quidem ipsum mortaliter peccare, qui citra casum necessitatis sine ministro celebraret; in casu tamen gravis necessitatis, hoc fieri posse sine peccato Ita Soto 4. dist. 13. q. 2. a. 5. & Suarez disp. 87. sect. 1. §. *sed dubitari* Sylvius 3. par. q. 83. n. 5. Marchinus tract. de Sacrif. Missæ p. 3. c. 15. Præpositus, 3. p. q. 83. a. 3. dub. 7. n. 177. Lessius in opere Posth. q. 83. dub. 10. n. 66. & alii.

Quinam autem casus necessitatis sint non omnes conveniunt. Aliqui extendunt ad magnas solemnitates, ne in illis populus sit sine sacro; sed moraliter loquendo talis casus vix imaginabilis est. Si enim magna sit populi frequentia, mirum esset quod nullus omnino reperiretur ad sacro inserviendum.

Hoc

Hoc etiam extendit Verricelli q. 98. dub. 20. ad dies profectos, si alioquin populus in missione longo tempore carere deberet solatio quotidie audiendi Sacrum. Sed in hoc ipse est singularis.

Necessitas verò quæ passim ab omnibus quoad præsentem quæstionem assignatur, est, ad communicandum viaticum in mortis articulo existenti, si nullæ adsint consecratæ Hostiæ, nec haberi possit qui sacro inserviat. Item probabiliter teneri potest cum præposito, ubi supra, sufficientem necessitatem esse, si Sacerdos captus ab hæreticis, non possit tutò habere ministrum qui inserviat, & alioquin deberet dudum à Sacrificio abstinere. Hoc enim non videtur ab Ecclesiâ, tam piâ Matre negandum Confessori fidei pro suâ spirituali consolatione.

Ratio autem hujus nostræ sententiæ est, quia cum præceptum hoc solum fundetur in Ecclesiastica institutione & consuetudine, meritò possumus ab illo eximere prædictos casus necessitatis.

Utrum autem in defectu ministri masculi adhiberi possit, aut debeat fœmina, à multis acriter controvertitur; Et pro Negativâ sententiâ facit cap. *Inhibendum* de cõhabitatione Cleric. ubi dicitur: *Inhibendum quoque est, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut inter cancellos stare sive sedere.* Adeo etiam ut aliqui cen-

seant

seant potius celebrandum esse sine ministro, quàm ministrante fœminâ

Contraria tamen praxis adeo communis est in locis missionis, ut illam condemnare imprudentiæ esset, quia praxim illam nullum hæctenus condemnavit decretum Ecclesiæ, quæ tamen omnibus Ecclesiæ Ministris, & Missionis Rectoribus notissima est. Caveri tamen debent scandala propter quæ hoc videretur esse detestabile. Imo (prout rectè monet Sylvius) permitti non deberet ut fœmina ad altare accedat, sed solum respondeat, quod solum inhiberi videretur per allatum locum ex jure Canonico; præterquam quòd per contrarium usum illa inhibitiõ abrogata sit, cum passim etiam in locis Catholicorum fœminæ non excludantur à cancellis prope altare: unde nec mirum est quod in partibus missionis quoad primam partem ministrationis fœminæ, censeatur abrogata.

Malè autem judicatur ab aliquibus quòd potius celebrandum esset sine ministro, tum quia hoc in illis locis scandalosum esset, tum quia saltem per fœminam ministrantem responderetur nomine Ecclesiæ, & omnis populi ad verba Sacerdotis.

ART I-

## ARTICULUS VI.

*Virum aliquando licitum sit celebrare sine  
Sacris vestibus?*

**U**Sus Sacrarum vestium in celebratione missæ mandatur c. *vestimenta* de Consecr. dist. 1. ubi dicitur: *Vestimenta Ecclesiæ quibus Domino ministratur, & Sacra debent esse & honesta, quibus aliis usibus non debent frui, quàm Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis.* Ac proinde mortaliter peccaret qui sine sacris vestibus celebraret, in quocumque etiam casu, Tum ob præfatum decretum, tum propter tanto Sacrificio debitam reverentiam, & propter Ecclesiæ antiquissimam consuetudinem. Vestes autem sacræ sunt sex: Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Casula seu planeta.

Aliqui à peccato mortali excusant, si quis careret unâ ex Minoribus vestibus, v. g. cingulo consecrato, aut manipulo, imo etiam stolâ dummodo absit scandalum, judicantes sic excusari ob parvitatem materiæ, quæ in omnibus præceptis, saltem humanis, excusatur. Sic multi graves Auctores tenent, saltem de cingulo & amictu, ut refert Suarez disp. 82. sect. 3. dub. 1. qui tamen tenent contrarium, sicut tenendum est. Non enim facilè est censendum

sendum parvam esse materiam, quæ ad reverentiam tanti Sacramenti conducit, tum ratione condecenciæ, tum ratione significationis, quâ persona Christi Domini in altari repræsentatur per sacerdotem sacris vestibus indutū.

Alii excusant à peccato propter periculum vitæ, ut si Tyrannus cogeret sacerdotem cum comminatione mortis sine sacris vestibus celebrare. Sed casus iste est planè metaphysicus: si enim Tyrannus sic minatur & cogit in contemptum fidei & Ecclesiæ, nullatenus parendum est, nec video quomodo hoc aliter accipi possit, ut talis contemptus ab illo mandato tyranni separetur.

Superest casus necessitatis communicandi infirmo in mortis articulo, si tunc contingat aliquam ex supradictis vestibus saltem minoribus deesse. Aliqui hoc putant in tali casu licere, & talem necessitatem ab illo decreto Ecclesiæ excusare.

Respondeo tamen negativè: sic tenent Sotus 4. dist. 12. q. 1. a. 8. & Navarrus cap. 21. n. 53. Victoria, Sylvius, & alii. Quæ sententia est quasi communis; Ratio autem est, quia non est necessitas absoluta infirmo tunc communicare, licet sit spiritualis utilitas; reverentia tamen hujus Sacrificii præferenda est tali ut litati infirmi, qui in tali casu non censetur habere copiam sacræ Communionis, ac proinde à jillam non obligatur.

Dices: sicut est præceptum Ecclesiæ utendi

di sacris vestibus, ita ut sumens S. Euchari-  
stiam sit jejunus: sed propter grave pericu-  
lum mortis excusatur infirmus ut possit non  
jejunus communicare, cur igitur non excu-  
sabitur Sacerdos ut propter eandem necessita-  
tem infirmi possit celebrare sine aliqua ex sacris  
vestibus?

Resp disparitatem esse, quia sacræ vestes  
conducunt quodammodo ad reverentiam in-  
trinsecam Sacrificio, ratione significationis  
suar: Jejunium autem ad illam solum quasi  
extrinsecè ordinatur, Uti in simili casu supra  
dictum est. Nulla verò incurritur irregularitas.

Vestimenta semel benedicta seu consecra-  
ta manent sacra quamdiu sunt integra, si au-  
tem ita frangantur, aut conterantur, aut mu-  
tentur ut perdant formam suam, nec amplius  
apta sint ad usum ad quem erant benedicta,  
desinunt esse sacra seu benedicta. Ita colligitur  
ex c. *Ecclesiis* & c. *Altaris* de Consecr. dist. 1.  
Unde si ab Alba præscindatur manica, quam-  
vis ipsa postea reassuatur, perdit benedictio-  
nem, quia sic perdidit formam suam, & aptitu-  
dinem ad usum suum. Similiter si anterior pars  
cafulæ à posteriori separetur. Item si cingu-  
lum ita frangatur, ut neutra pars sufficiat ad  
cingendum; nec satis est utramque partem  
simul colligare si semel sint ab invicem sepa-  
rata. Secus tamen si ante fractionem & sepa-  
rationem filo vel nodo obligantur.

Licet autem est loco cinguli in defectu  
uti

uti stolæ, & loco stolæ manipulo, aut eontra:  
quia habent eandem benedictionem.

Quod si aliquis ex ignorantia vel inadver-  
tentia usus fuerit illis vestimentis necdum be-  
nedictis, inquiritur an hoc ipso usu censeantur  
benedicta, ita ut non sit opus ulteriori Con-  
secratione? Castro. lib. 2. de leg. penult. c. ult.  
prout ipsum citat & sequitur Diana pag. 2.  
tract. 14. resol. 69. & Avila de cens. p. 5. disp. 7.  
dub. 3. concl. 4. asserunt non esse opus novâ  
consecratione. Nec etiam Ecclesiam pollutam  
indigere novâ reconciliatione, si bonâ  
fide ab aliquo Sacerdote in ea celebratum  
fuerit. Eò quòd hæc censeatur sufficiens  
reconciliatio.

Respondetur tamen negativè cum Navarro  
c. 27. n. 256. ad legem *nimirum si cœmeterium*  
Azor. l. 10. c. 26. q. 13. Layman lib. 5. tract. 5.  
c. 5. n. 13. Et ratio est: quia contraria sententia  
in nullo jure fundatur, neque ullâ apparenti  
ratione: si enim celebratio sit instar reconcili-  
ationis, idem erit dicendum, tametsi Sacer-  
dos malâ fide in Ecclesia polluta celebret,  
quod tamen alii non admittent.

Multi tamen tenent, & est satis commu-  
ne, quòd pyxides & ciboria in quibus sacrum  
Chrisma & Hostiæ consecrata conservantur,  
non debeant benedici aut consecrari, conde-  
cens tamen est ut hoc fiat, & idem dicendum  
est de lunula cui sacra Eucharistia immediatè  
imponitur.

Si

Si tanta sit adhibenda cura ad hoc ut vestes & vasa sacra benedicta sint, non minor cura adhibenda est, ut munda sint, nec vestes laceræ sint, & tanto sacrificio indecentes. Videri potest circa hoc Cajet. v. *Missæ celebratio* ubi dicit immunditiam illarum vestium damnatam esse, non solum à Jure Canonico extra de *Custodiâ Eucharistiæ*, sed etiam à Jure naturali, quàm dedecet immunditia illa, etiam in profanis usibus, imo sæpè ipsimet qui in hoc tã negligentes sunt, nollent tam sordidis uti sudariis, aut mappis seu mantilibus in mensis suis. Ac proinde non sunt à gravi peccato immunes, qui tantæ indecentiæ causa sunt.

## ARTICULUS VII.

*De aliis requisitis ad Sacrificium Missæ.*

**I**n primis requiritur altare lapideum, aut saltem ara seu altare portatile, cujus regulariter usus est in Missione, debet autem etiam esse hæc ara lapidea uti habetur c. *Altaria* de Consecr. dist. 1. & consecrata ab Episcopo. Tandiu autem manet consecrata, quamdiu tanta ejus pars manet integra quæ sufficiens sit ut super ipsam commodè collocari possit Calix & Hostia: includuntur autem reliquiæ Sanctorum.

In

In Missionibus verò habetur speciale privilegium, expressum in facultatibus ipsis dari solitis, quòd celebrare possint super altari portatili fracto, aut læso, etiam sine reliquiis Sanctorum. Sed circa hoc occurrit dubium, utrùm possint celebrare super ara seu altari ita fracto, ut in nulla sui parte contineri possit Calix & Hostia. Et ratio dubitandi est, quia nisi hoc concedatur nullum datur privilegium: in aliis enim locis etiam licitum est celebrare super altari fracto, dummodo sufficiens sit ad continendum Calicem & Hostiam.

Nihilominus Resp. Negativè. Non enim credi potest, quòd Papa facultatem concederet Missionariis, ut celebrare possint super arâ non sacrâ, seu quæ perdidit consecrationem suam per nimiam fracturam; quod fieret si talis facultas concederetur. Ac proinde hæc non debet censeri facultas specialis, sed pro majori securitate quædam declaratio. Posse autem celebrare super arâ seu altari portatili solebat olim esse speciale privilegium, jam verò hoc passim utrobique invaluit.

2. Necessè est ut altare cooperiatur triplici pallâ seu Tobaliâ, uti habetur, c. *Si per negligentiam*. Modò verò sufficit una palla duplicata super aram, & pro tertiâ pallâ deservire potest Corporale. Ita Sylvest. v. *Missæ* l. q. 1.

3. Requiritur Corporale lineum; ut habetur, c. *Consulio* de consecrat. dist. 1. ubi dicitur: *Consulio omnium statimus.* us

Sacr.

*Sacrificium altaris non in serico panno, aut tin-  
cto, quisquam celebrare presumat, sed in puro  
linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet  
lino procreato atque contexto, sicut corpus Domi-  
ni nostri in Syndone lineâ mundâ sepultum fuit.*  
Nihilominus Verricelli q. 262. v. *Missâ*: iudicat  
sufficere si sit ex gossipio, licet enim videatur  
specie distingui, linum tamen est nomen gene-  
ricum ad diversa lina, ut sic loquamur claritatis  
causâ. In Indiis autem talis usus est commu-  
nior.

4. *Requiruntur candelæ cereæ: utrum verò  
unica sufficiat, controvertitur; saltem ex ri-  
gore præcepti non potest colligi quòd non  
sufficiat, Quòd sufficiat etiam lucerna olei,  
multi tenent, sed contraria est praxis seu con-  
suetudo Ecclesiæ. Uti etiam adhibere tantum  
candelam ceyaceam, seu ex adipe confectam.*

5. *Crux debet esse in altari; non tamen  
lethalis est omisso ejus, cum nullum de hoc  
extet præceptum, præscribitur tamen in rubri-  
cis Missalis, quæ dirigit tantum, non præci-  
piunt. Ita tenent Suarez ubi sup. & Marchinus.*

6. *Uti oportet Missali, propter periculum in  
re tanti momenti aliquid omittendi; si tamen  
contingeret quòd Missale haberi non posset,  
& Sacerdos esset tam tenacis memoriæ ut mor-  
taliter loquendo istud periculum abesset, pos-  
set in tali casu sine Missali celebrare,*

*Præcipuè requiritur Calix cum Patena ex  
auro, vel argento, aut saltem stanno. De  
quo*

quo S. Th. 3. p. q. 83. a. 3. 6. ubi ex c. *vasa* de  
Consecr. dist. 1. habet sequentia: *Quondam  
Sacerdotes, non aureis, sed ligneis Calicibus  
utabantur. Zepherinus autem Papa Patenis  
vitreis celebrari constituit. Deinde Urbanus  
omnia fecit argentea, postmodum autem statu-  
tum est, ut Calix Domini cum Patena sive ex  
auro omnino, sive ex argento fiat: vel saltem  
stanneus calix habeatur; de ære autem, aut ex  
aurichalco non fiat, quia hoc vini virtute arugi-  
nem parit, pariterque vomitum provocat. Nullus  
autem in ligneo seu vitreo Calice presumat Mis-  
sam cantare, quia scilicet lignum porosum est,  
& Sanguis consecratus in eo remaneret; vitrum  
autem fragile est, & posset fractionis periculum  
imminere, & eadem ratio est de lapide. Videatur  
etiam c. ut Calix.*

*Consecrari autem debet ab Episcopo, quia  
intervenit Sacra Unctio. Hæc autem Con-  
secratio amittitur, si sit deauratus, & aurum  
sit usu consumptum, rursusque de novo in-  
terius deuretur, non autem si nova deauratio  
fiat exterius tantum. 2. Si habeat pedem fixum  
non amovibilem, & casu aliquo cupa à pede  
suo separatur, quia tunc amittitur figura  
illius vasis, quod per modum unius simul fuit  
consecratum. Non tamen perditur consecra-  
tio si calix sit tornatilis, & cupa à pede sit ex  
se separata.*

## ARTICULUS VIII.

*Virum grave peccatum sit celebrare capite cooperto.*

**R**espondetur Affirmativè, si id fiat sine causâ, etiam cum capillitio fictitio. Hoc autem colligitur ex c. nullus Episcopus de consecr. dist. 1. ubi dicitur: *nullus Episcopus aut Presbyter seu Diaconus ad Missarum solemnia celebranda presumat cum baculo inirore, aut velato capite altari Dei assistere, quoniam Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesiâ, & si temerè præsumserint. communione priventur.*

Nihilominus non desunt Auctores qui seculo scandalo & contèptu id excusant peccato mortali Non tamen puto aliquem hoc admissurum, nisi legitima causa adsit quæ excuset, sine quâ semper erit peccatum mortale, cum hoc tam graviter sit prohibitum, etiam sub pœna excommunicationis, statim vidimus. Et licet aliqui teneant quòd excommunicatio, quæ est tantum comminatoria, non præsupponat semper peccatum mortale, quando tamen Ecclesia illam cõminatur, satis ostendit prohibitionem suam gravem esse, & consequenter transgredientes lethaler peccare.

Ulterius verò inquiritur, utrum habitâ legitimâ

gitimâ causâ id licitum sit absque dispensatione. Certum est quòd ne quidem Pontifex in hoc dispensare soleat, ut hoc fiat à Consecratione usque post Communionem, quia hoc cederet in gravem irreverentiam tanti Domini, quòd servus coram ipso cooperto capite astaret, & tantum mysterium pertractaret. Ideo Greg. XIII. in hoc dispensans cum Episcopo Niciæ excipiebat Canonem, ita restatur Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. q. 8. art. 4. cõcl. 5. Et similiter S. Congreg. sup. negot. Episc. eandem exceptionem fecit, quando cum Episcopo Faventino dispensavit, Ita Gavant. Comment. in Rubr. Missalis p. 2. tit. 2. v. verum Sedi Apostolicæ.

Dispensare autem spectat ad summum Pontificem, ita expressè statuit Urbanus VIII. In Missali per ipsum reformato. his verbis: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missæ, sine expressâ licentiâ Sedis Apostolicæ, non obstante quâcumque contrariâ consuetudine.* Idem etiam antea declaraverat S. Congreg. Rituum 13. Julii 1626. uti Gavantus refert ubi supra. Causæ autem dispensandi, sunt: nimia regionis frigiditas, capitis debilitas, & decrepita senectus.

Quando verò causa est omnino certa & necessitas manifesta, & recurri non posset ad summum Pontificem, aut saltem ad Episcopum, probabiliter id fieri posset sine dispensatione, dummodo absit contemptus & scandalum:

dalum : necessitas enim non habet legem ; dispensatio autem non requiritur , quando lex non obligat , uti docet S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. de lege jejuniij , quia enim non obligat evidenter infirmum , non est opus dispensatione ; ergo idem dicendum in hac materiâ. Tum etiam quia in illo Decreto supra relato c. *nullus Episcopus* , dicitur , *Si temerè præsumserit* . Qui verò aliquid facit in casu evidentis necessitatis , & ex legitimâ causâ , non potest dici temerè præsumere : tutius tamen est & securius dispensationem etiam in illo casu petere , saltem ab Episcopo , aut à Prælato si sit regularis.

In aliquibus autem partibus ( sicut specialiter refertur de Poloniâ ) tempore hyemali Sacerdotes celebrare solent cooperto capite quod ibi fit sine ullo scandalo , secundum morem patriæ hætenus ab Ecclesiâ toleratum.

Illi qui agunt de Missionibus Orientalibus , tractant hanc quæstionem de Chinesibus , eò quòd ibi nullum signum honoris sit discooperire caput , imò planè indecorum. Utrum proinde ibi celebrandum sit nudo , an verò cooperto capite ? Propter illam rationem dubit , & tollendum omnem scrupulum Paulus V. per Breve speciale cujus initium est *Romæ Sedis Antistes* datum 1615. 27. Junij , cuidam Patri Societatis ibidem Missionario concessit , ut in illis partibus possit cooperto capite celebrare : ut refert P. Præpositus q. 83. a. 3. dub. 6.

Unde

Unde colligi potest , quòd non facilè quis debeat contrarium attentare , præcipuè in his partibus.

## ARTICULUS IX.

*Utrum liceat celebrare in Ecclesiis hæreticorum , aut ubi ipsi sepeliuntur ?*

**H**oc unum supererat postquam egimus de vestibibus & vasis Sacris , an etiam locus Sacer esse debeat , in quo hoc Sacrificium offertur ?

Spektato autem jure communi de hoc non est dubitandum , quòd expressè requirit ut locus sit sacer , id est consecratus ab Episcopo per unctionem Chrismatis in parietibus , aut saltem benedictus sine Chrismate quæ benedictio fieri potest ex commissione à simplici Sacerdote. Peccaret proinde mortaliter Sacerdos qui sine dispensatione , privilegio , aut gravi necessitate in loco non sacro celebraret.

Sed quia Missionarii , tam ex necessitate ( cum in partibus Missionis non permittatur ipsis Ecclesias habere ) quàm ex Pontificiâ concessione , & speciali facultate , celebrare possunt in quocumque loco decenti , ab illo jure communi eximuntur , nec hoc ulterius indagandum ; admonendi tamen sunt ut talia eligant

gant loca, ubi id decenter possit fieri; ne facile celebrent in cubiculis, ubi solent aliqui dormire, aut ubi aliqua peraguntur quæ reverentiæ tanti Sacrificij non conveniunt.

Difficultas igitur quam movemus est, circa aliquas partes, ubi Catholici permixtim habitant cum hæreticis, penes quos est civile sive politicum regimen, & non permittitur Catholicis alius locus quàm communis Ecclesia; in quâ etiam hæretici, distinctis tamen horis ritus suos peragunt, & ibidem passim sepeliuntur. An etiam possint Catholici Sacerdotes ibi Missæ Sacrificium peragere?

Quod hoc non sit licitum in Ecclesiis violatis seu pollutis præter omne dubium est. Violatur autem Ecclesia 1. voluntariâ hominis occisione ibi factâ. 2. Effusione sanguinis humani per gravem percussione. 3. Ex voluntaria & illicita humani seminis effusione: dummodo isti casus sint publici, aut per evidentiam facti, aut per juridicam rei confessionem. Sed de illis casibus jam non agimus. 4. Verò quod ad illam nostram facit, si excommunicatus, aut infidelis, Judæus, Paganus, Turca, aut puer non baptizatus ibi fuerit sepultus. Quæritur an non liceat tunc in illis Ecclesiis celebrare?

Respondeo Affirmativè, urgente necessitate, præcipuè si illæ Ecclesiæ antequam in potestatem hæreticorum venirent, fuerint consecratæ, aut benedictæ; non obstante quòd ibi fiant ritus hæreticorum, & ipsi sepeliuntur: dum-

dummodò non permittantur Catholicis alia loca. Regulariter tamen hoc non est licitum propter irreverentiam, & sic intelligi debet declaratio S. Cong. data 7. Maii 1631. ut refert Verricelli q. 135. imò regulariter tam Missionariis quàm aliis est prohibitum hæreticorum Ecclesias adire, tempore quo ibi ipsorum ritus peraguntur.

Quia tamen in aliquibus locis Germaniæ superioris hoc aliter fieri non potest, dicimus Ecclesias nequaquam violari, aut pollui per hæreticorum ritus, quia hoc nusquam reperitur expressum. Quod confirmari potest declaratione S. Congreg. Conc. Trid. interp. datâ 19. Decemb. 1602. uti habetur apud Barbosam in Collec. Bull. v. *Ecclesia*, ubi dicitur: *Quod Ecclesia consecrata ritu Græco, si ad Romanam Ecclesiam redierit, non sit iterum consecranda, si fidem Trinitatis tenuerit qui prius consecravit.* Indubiè autem quamdiu tales Ecclesiæ manènt sub schismaticis ab Ecclesia Catholica alienis ipsorum ritus ibi peraguntur. Præterea Ecclesiæ non polluuntur per sepulturam hæreticorum, qui non sunt denunciati, cum tales non sint vitandi, uti supra latè diximus de pœnis hæreticorum: in illis autem locis hæretici non sunt particulariter, seu nominatim excommunicati. Imò dato etiam quòd Ecclesia esset polluta, fieri potest quòd gravis necessitas permitteret inibi celebrari. Exemplum adfert Verricelli ubi supra in regno

Turciæ, ubi aliquando sub pœnâ capitis vetitum fuit ne Catholicis alibi quàm in Ecclesiis publicis celebrarent. In quo casu & similibus licitum id esset.

## ARTICULUS X.

*An aliquando Sacerdos conscius sibi peccati mortalis celebrare possit sine præviâ Confessione ?*

**P**otissima Sanctitas requiritur in ipso Sacerdote, magis quàm in vestibus, vasis, aut loco : cum ipse Sacramentum conficiat, consecret, & propriis manibus sumat, & personam ipsius Christi Domini in se repræsentet. Hæc autem sanctitas præcipuè consistit in puritate conscientiæ, & hoc est quod specialiter monet Apostolus 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat.* Quid autem per illam probationem exigatur declarat Conc. Trid. sess. 13 cap. 7. quod hîc de verbo ad verbum volui referre, ut tantæ rei gravitas magis ponderetur. *Si non decet ad sacras ulla functionis quempiam accedere nisi sanctè, certè quò magis sanctitas & divinitas cælestis hujus Sacramenti, viro Christiano compta est, eò diligentius cavere ille debet, ne absque magnâ reverentiâ & sanctitate ad id percipiendum*

*dum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba, apud Apostolum legamus. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præviâ sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque præviâ confessione celebraverit, quamprimum consecratur.*

Et Can. 11. *Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur : statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitiâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*

Ex quibus locis evidentè constat ad Sacram Communionem & consequenter ad offerendum

dum tremendum Missæ Sacrificium, non sufficere contritionem ei qui sibi conscius est peccati mortalis; sed requiri Sacramentalem confessionem, & sic intelligenda esse verba Apostoli. Et ne quis putet Sacerdotes indies ex officio celebrantes illo præcepto non alligari, quia hoc durum videri posset, quòd quotiescumque in mortale peccatum labuntur, quærere debeant confessarium: expressè illorù sit mentio, *Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare &c.*

Excipit tamen Concilium casum defectus Confessarii, *modò non desit illis copia confessoris.* Quæ verba non sic rigidè accipienda sunt, quòd debeat omnino deesse copia, ita ut nullo modo haberi possit, sed sufficit quòd moraliter loquendo desit copia, unde si haberi non possit nec facilè adiri ob loci distantiam, & tempus celebrandi urgeat, sufficet elicere actum contritionis, & proximà habità occasione confiteri.

2. Excipit Concilium urgentem necessitatem celebrandi: *Quod si urgente necessitate &c.* Unde bene sequitur quòd si nulla necessitas celebrandi urgeat, non possit Sacerdos in tali statu celebrare. Examinanda est igitur necessitas quæ sufficiat.

1. Necessitas est ratione infirmitatis proximi, cui administrandum est viaticum. Quod sæpius occurrere potest in missionibus, ubi  
tanta

tanta est persecutio, ut non sit tutum Sacratas Hostias dudum in sacrario conservare, & sic facilè accidere potest, quòd pro habendâ consecratâ Hostiâ necessitas sit celebrandi.

2. Necessitas est ne in die festo populus careat Missâ, quæ necessitas præcipuè incumbit Parochis, qui ex officio tenentur diebus festivis celebrare: ut populus præcepto audiendi sacrum possit satisfacere. Et idem ferè est in Missionariis qui sicut in aliis facultatem habent administrandi pastoralia, sic etiam obligationem istam quòdammodo in se susceperunt. Et ideo populus jus habet petendi, ut tam Parochi, quàm Missionarii celebrent Missæ Sacrificium, diebus quibus obligatur ad sacrum audiendum. Quod non habet locum in simplici sacerdote, licet enim Suarez de Sacramentis disp. 67. sect. 4. idem dicat de simplici sacerdote, postea tamen consultit in praxi hanc nostram sententiam. Sic etiam tenet Bonacina de Sacr. disp. 4. q. 6. p. 1. n. 24. Et Layman lib. 5. tract. 4. c. 6. n. 6.

3. Necessitas est periculum infamiæ, scandalali, aut gravis admirationis, quæ moraliter loquendo semper habet adjunctam infamiam, & scandalum. Virare enim scandalum est de jure naturæ & divino. Ita Sylvester v. Eucharistia 1. §. 7. n. 9.

Huc etiam reducitur integritas Sacrificii, videlicet, si Sacerdos consecrationem incepit, & tunc recorderet alicujus peccati mortalis. Si

verò recorderetur ante consecrationem, interrumpere potius deberet Missam & confiteri, sed hoc difficulter fieret sine scandalo, maximè in illis locis.

Uterius jam examinandum est quid intelligat Conc. Trident. dum dicit ubi supra: *Quamprimum confiteatur.* Utrùm si Sacerdos in tali statu licitè propter necessitatem celebraverit, absoluto Sacrificio statim habitâ copiâ Confessarii debeat confiteri, ita ut hoc non possit licitè differre?

Aliqui sunt in hoc, uti & in multis aliis, sequentes laxiores sententias, qui putant præcepto Concilii satisfieri, si Sacerdos confiteatur quamprimum ipsi fuerit iterum celebrandum. Et idem dicunt de sæcularibus qui ex necessitate communicant, præmissâ solâ contritione, quòd confessionem differre possint usque ad sequentem annum seu tempus in quo ex præcepto Ecclesiæ debent communicare. Sed tamen hoc clarè militat contra intentum Concilii, cujus circa hoc decretum planè esset frustraneum, quia satis declaraverat quòd sacerdos conficius sibi mortalis peccati confiteri debeat, antequam de novo celebret, & sæcularis ante annuam communionem. Ad quid ergo Ecclesia hanc novam determinationem apponeret, ut sacerdos peccati mortalis sibi conficius, si urgente necessitate, solâ contritione præviâ, sine sacramentali confessione celebraverit, quamprimum confiteatur?

Dico

Dico ergo quòd statim ac (moraliter loquendo) habet commodam opportunitatem seu copiam confessarii, debeat confiteri, non obstante quòd prius contritionem elicuerit, quia sic manifestis verbis Concilium Trid. decernit.

## ARTICULUS XI.

*Vtrum nocturna pollutio impediat Sacramentem, aut sacramentem à S. Communionem?*

**N**on tantum immunditia spiritualis quæ est in animâ per mortale peccatum, sed etiam corporalis quæ est in corpore per pollutionem, impedit ne dignè immaculatum Corpus Christi Domini in S. Eucharistia sumatur. De qua exactissimè tractat S. Th. 3. p. q. 80. a. 7. ubi in primis dicit dupliciter pollutionem sacram Communionem impedire. 1. Ex necessitate, ita ut peccet mortaliter qui sic communicat. 2. Ex congruitate, ita ut non peccet, aut saltem non nisi venialiter. Quo suppositio.

1. Conclusio S. Thomæ est: nocturna pollutio secundum se considerata non impedit ex necessitate quemquam à sacra Communionem.

P 7

Pro-

Probatu: nihil impedit ex necessitate à sacra Communione nisi solum peccatum mortale; sed nocturna pollutio secundum se non est peccatum mortale, ergo non impedit quemquam à sacra Communione, quia non impedit à fructu seu effectu ipsius, qui est gratia, cui solum peccatum mortale opponitur. Min. verò probatur: quia nocturna pollutio non est libera in se, ac proinde non potest esse in se mortaliter peccaminosa, ubi enim nulla est libertas nullum est peccatum ut dicit Sanctus Augustinus lib. de libero Arbitrio.

2. Conclusio: Pollutio nocturna considerata secundum suam causam quandoque impedit de necessitate à sumptione hujus Sacramenti, quandoque non. Quia quandoque causa est peccatum mortale, & quandoque non est. Pro cuius evidentiâ discurret S. Thomas per singulas causas. *Quandoque, inquit, provenit ex causa extrinseca spirituali, scilicet ex Dæmonum illusionem, qui phantasmata movere possunt; ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque verò provenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluitate, sive debilitate natura, sive etiam ex superfluitate cibi vel potus; qualibet autem harum trium causarum potest & sine peccato & cum peccato veniali, vel mortali existere; & si quidem sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit*  
sump-

*sumptionem Eucharistiæ, ita scilicet quod homo sumendo sit reus corporis & sanguinis Domini. Si verò sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate.*

3. Conclusio: Illusio etiam Dæmonum quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotionem, quæ potest esse & mortale & veniale peccatum.

Licet enim ei qui numquam tales illusiones pati solet, non impuretur ad culpam, quod se non communit aduersus illas, tamen qui illis solet divexari, tenetur se præcibus & aliis remediis spiritualibus aduersus illas armare & aliquando corpus domare: unde sumit diabolus materiam illusionum.

4. Conclusio: Aliquando illusio illa accidit ex solâ nequitia dæmonum volentium impedire hominem à sumptione Eucharistiæ. Pollutio autem inde consecuta, uti non est peccatum, ne quidem veniale, ita nullatenus impedit sumptionem S. Eucharistiæ. Unde legitur, inquit S. Th. in collationibus Patrum quod cum quidam frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum, seniores comperto quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreverunt quod propter hoc à communionem non cessaret, & ita cessavit illusio dæmonum. Ac proinde tunc ne quidem est impedimentum ex congruitate, imo potius congruum est propter talem pollutionem à communionem non cessare.

5. Conclusio. Nocturna pollutio etiam si facta fuerit sine peccato, ex congruentia impedit à sumptione Communionis. Quod Probat. 1. Ex S. Hieron. 33. de Pœnitentiâ q. 4. c. *Sciatis fratres, ubi dicitur: Sciatis fratres charissimi quoniam quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus Agni comedere debet. Item si Panes Propositionis ab his qui uxores suas tetigerant comedi non poterant, quantum magis ille Panis, qui de cœlo descendit, non potest ab his qui conjugalibus pauld ante hærese complexibus violari, atque contingi, non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debeamus.* Imo in Concilio. Elibertino decretum fuit ut aliquot diebus à copula carnali abstinere his verbis: *Omnis homo ante Sacram Communionem à propriâ uxore abstinere debet tres, aut quatuor aut septem dies* Sed hoc decretum per dissuetudinem abrogatum est. Aut solum mansit in ratione consilii non præcepti.

2. Probat S. Thom. Ratione: Tum propter fœditatem corporalem quæ semper accidit per pollutionem, cum illâ autem propter reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere, unde & volentes tangere aliquid sacrum, manus lavant, nisi fortè talis immunditia sit perpetua, vel diuturna sicut lepra, vel fluxus sanguinis, vel huiusmodi. Tum etiam propter evagationem mentis quæ sequitur

quitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit.

Sexta Conclusio: Impedimentum quod ex solâ congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta ut Gregorius dicit (Epist. ad Augustinum Anglorum Episcopum, ad interrog. 111.) cum fortasse aut festus dies exigat, aut exhibere ministerium pro eo quod Sacerdos alius deest ipsa necessitas compellit. Cui etiam adjungi debet id quod diximus in 4. concl. Aut etiam si tanta sit devotio sacerdotis qui quotidie optat celebrare, aut sit dies specialis devotionis, aut obligationis pro populo ut sacrum audiat, In quibus casibus potius celebrandum est, quàm abstinendum, extra autem illos casus omnino congruum est abstinere.

Supereft hic resolvere quid dicendum sit quando pollutio nocturna in causâ suâ mortaliter culpabilis est, an tunc adeo ex necessitate impediatur, ut etiam per confessionem Sacramentalem ablatâ culpâ adhuc maneat hoc impedimentum? Et idem inquiri potest de pollutione voluntariè habitâ in vigiliâ, aut etiam per adulterium aut fornicationem. An ita per confessionem tota malitia deleatur, ut non amplius impediatur ex necessitate, sed solum ex congruitate, sicut pollutio nocturna inculpabilis.

Verum quidem est quòd impedimentum necessitatis sit sola culpa mortalis, ac proinde illâ

illâ per confessionem deletâ, solum maneat impedimentum incongruentiæ, quod pensari debet ex evagatione mentis, quia quoad fœditatem corporalem, nulla est differentia. Regulariter autem major manet mentis evagatio circa illam turpitudinem ex pollutione ex se voluntariâ, quàm in non voluntaria aut non culpabili, cum illud peccatum ex ardentiori motu concupiscentiæ committatur; ex quo solet magna mentis evagatio remanere quæ aliquando tanta potest esse ut gravis omnino sit irreverentia, cum tali indispositione ad illud Sanctum Sanctorum sumendum accedere. Unde non faciliè post culpabilem pollutionem accedendum est. Nisi fortè, quod rarum esset, tantus præteritæ culpæ esset horror & pœnitentia, ut evagationem mentis, & corporis commotionem tolleret.

Quantò verò minor censetur evagatio, tantò facilius potest Communio permitti. Uti fit post actum conjugalem ad reddendum debitum, aut qui fit non ex libidine, sed solius generationis prolis desiderio. Uti S. Gregor. consultus ab August. Anglorum Episcopo resolvebat.

## ARTICULUS XII.

*Utrum dari possit in communionem particula Hostiæ majoris.*

**S**uppono pro hoc casu quod non adsint aliqua parvæ Hostiæ consecratæ, aut non sit tempus ut consecrentur, alioquin hoc non liceret ob aliquam saltem irreverentiam quæ per hoc committeretur.

Quando igitur non potest aliter fieri, nihil video quid obstat quare non esset licitum. Nullum enim præceptum est Sacerdoti, ut integram Hostiam sumat; sicut non tenentur sumere totam quantitatem specierum, quas consecrat, & interdum v.g. in die cænæ duas magnas Hostias consecrat, quarum una tunc tantum sumitur à Sacerdote.

Sic etiam S. Thomas 4. dist. 12. q. 3. a 2. q. 2. 1. ubi dicit: *In tali casu videl. infirmantis ad mortem. Non oportet quod Sacerdos communionem intermitat, sed potest dare infirmo poteni partem Hostiæ consecratæ.* Sylvester autem v. *Eucharistia* 2. n. 15. §. sextum. Hoc extendit etiam ad casum quo aliquis communicare vult ex solâ devotione. Bonacina etiam de Sacram. 4. q. 5. p. 1. n. 13. qui requirit rationabilem causam, quæ etiam potest esse sola ardens devotio petentis. Et Suarez disp. 35. sect. 2.

sect. 2. Joannes Sanchius q. 22. n. 21. dicit ita statutum haberi in Rubric. Missalis jussu Pii V. de defect. Miss. v. *si Sacerdos.*

## ARTICULUS XIII.

*An Regulares habentes speciales ritus in celebrando, conformare se debeant in Missione ritui Romano.*

**C**ertum est quod in suis Monasteriis, sive extra Missionem, observare debeant proprios ritus ipsis concessos, sive per privilegium, sive per antiquam consuetudinem: debet enim Religiosus sequi statuta Ordinis sui, ut sit in toto Ordine uniformitas; nec enim frustra aut sine causa proprii illi ritus ab Ecclesia permittuntur, aut per privilegium conceduntur; imo in hoc videtur relucere pulchritudo quædam Ecclesiæ, uti relucet in diversitate religionum, regularum & vestium.

Nihilominus in Missionibus conformare se debent communi ritui Romano, ad vitandum scandalum: multi enim simplices percipere non possent illius difformitatis rationem. Et sicut non est ibi diversitas vestium, quibus diversi Religiosi ab invicem & à sæcularibus Sacerdotibus distinguuntur, ita non est conveniens ut diversos ritus observent, maxime  
in

in illo tam tremendo Sacrificio. Ac proinde licet Ordo noster Fratrum Prædicatorum secundum statuta sua multa habeat ab aliis diversa in celebrando, tamen dum ibi publicè celebrant (licet etiam solùm transeuntes per illas partes) conveniens est ut se conforment communibus ritibus saltem præcipuis & magis dignoscibilibus, uti in Confiteor & similibus.

## ARTICULUS XIV.

*An qui mane communicavit, si eodem die incidat in periculum mortis, possit iterum communicare per modum viatici?*

**Q**uod regulariter semel tantùm in die liceat sumere S. Eucharistiam supra probatum est ex c. *sufficit*: ex quo ostendimus regulariter non posse Sacerdotem, plus quàm semel celebrare: idem autem est dicendum de sumptione ejusdem Sacramenti.

Sed quia specialis obligatio est idem Sacramentum sumendi in articulo mortis, inquiritur, an saltem in tali casu id liceat, ut huic obligationi satisfiat. Paucos inveni qui hanc difficultatem pertractant; Diana p. 4. tract. 4. Resol. 192. cum Homo-bono resolvit affirm.

firmatiuè, & dicit hoc esse probabilissimum. Et ratio ipsorum est quia sumere viaticum est præceptum diuinum, communicare autem semel tantum de die est præceptum tantum Ecclesiasticum, maioris autem ponderis est præceptum diuinum quàm Ecclesiasticum.

Citat etiam P. Hurtado quòd dicat P. Vasquez sic tenuisse in manuscriptis, & quòd ei subscripserint plures PP. Societatis, & alii viri gravissimi Academiae Salmanticensis, & Complutensis.

Sed mirarer, quòd, si hoc ita esset, nulli Auctores graves post Vasquez eandem sententiam tenuissent in suis impressis libris.

Tenenda est igitur sententia negativa, quæ est communis, & dicendum quòd in illo casu moribundus nec debeat, nec possit secundo communicare etiam per modum viatici.

Prob. Per illam Communionem manè factam satisfit utrique obligationi, tam diuinæ, quàm Ecclesiasticæ, ergo non potest secundo communicare. Ant. Prob. Quia præceptum diuinum nihil aliud exigit quàm communionem circa finem vitæ, quæ facta est in proposito casu. Dices: Talis in matutinâ communionem non intendit satisfacere præcepto diuino, non enim potuit intendere communionem accipere per modum viatici, qui non potuit prævidere propinquitatem periculi. Resp. Talem intentionem non requiri, sed  
suf-

sufficere, quòd in re fiat id quod faciendum erat, videl. quòd non diu ante mortem S. Eucharistiam sumat, quæ habet vim roborandi hominem in mortis articulo, non ab intentione sumendi vel non sumendi per modum viatici, sed ex re quæ continetur & sumitur, scilicet corpore & sanguine Christi habente virtutem cauendi hanc gratiam. Confirm. Qui audivit sacrum ex solâ devotione ignorans esse diem festum, licet id postea sciat, non tenetur aliud Sacrum audire, quia præceptum Ecclesiæ tantum est audire Sacrum diebus festis, non quòd intendere debeat audire ut satisfaciat obligationi.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ Resp. Quando duo præcepta occurrunt, licet unum fortius obliget quàm alterum, si tamen utrumque simul observari possit, utrumque obligat: sic verò fit in nostro casu, simul enim sumi potest S. Communio in fine vitæ, & non communicari bis eodem die.

Sed iterum: non conveniunt Doctores de spatio temporis quod intervenire potest, ut quis post Sacram Communionem non teneatur, interveniente mortis periculo, iterum semere S. Eucharistiam per modum viatici.

Cajetanus in Sum. v. *Communio* §. *utrum autem*, habet valde singularem sententiam videl. quòd sufficiat quòd in Paschate communicaverit: *utrum autem*, inquit, *in mortis articulo teneatur fidelis quisquam communicare*,

in dubium non est vertendum: quoniam consuetudo Ecclesie hoc mandat, & proculdubio peccat qui sine rationabili causa absque viatico recedit. Si tamen contemptus desit, non video rationem peccati mortalis in huiusmodi omissione, ex quo Paschalem communionem implevit. Merito tamen ab omnibus hæc tam laxa opinio improbat. Quia si unquam obligatur homo ad S. Communionem, certè tunc maximè quando se debet immediatè ad mortem, & æternitatem disponere. Unde alii assignant spatium sex vel octo dierum, si intra illud spatium ante mortis periculum communicaverit. Hoc tamen determinandum est secundùm diversitatem dispositionis: si quis enim interea graviter peccasset, non satisfaceret tantisper differendo usque ad mortem, sed deberet de novo communionem per modum viatici accipere in illo statu mortis instantis.

## ARTICULUS XV.

*Utrum danda sit communio parvulis, amentibus, & surdis in mortis articulo?*

**O**lim in quibusdam Ecclesiis consuetum erat statim post Baptismum, & Confirmationem dare infantibus S. Eucharistiam; ut

ut patet ex S. Dionys. de Eccl. Hierarch. c. 7. p. 3. sub finem, ubi dicit: *Illud verò quod pueri quoque qui necdum possunt intelligere, divini Sacramenti Baptismatis, & altissimum Communionis Sacrosanctæ signorum fiant participes, videtur profanis ridiculum, &c.* Idem colligitur ex S. Cypriano sermone de Baptizatis. Et ex Auctore Eccles. Dogm. cap. 52.

Illa tamen consuetudo ob gravissimas causas fuit abolita. 1. Ne susceptum Sacramentum expuant. 2. Ob defectum debitæ reverentiæ, & devotionis. Et licet etiam parvulis collatum gratiam auget, non tamen est ipsis necessarium, neque pro ipsis institutum. Habet enim rationem spiritualis alimonie restaurantis vires animæ, quæ tum per internum concupiscentiæ fomitem, tum per externas spiritualium hostium insidias debilitantur, quod locum non habet in parvulis.

Unde sic resolvit Concil. Trident. sess. 21. cap. 4. *Denique eadem S. Synodus docet parvulos usu rationis carentes nullâ obligari necessitate, ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem; si quidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam, in illâ ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit, ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam, pro illius temporis ratione habue-*

habuerunt, ita certè eos nulla salutis necessitas  
id fecisse sine controversiâ credendum est.

Ac proinde ulterius inquirendum est, an sit  
danda statim ac pervenerint ad usum rationis,  
qui regulariter censetur incipere circa septi-  
mum aut octavum annum?

Quia S. Communio non tantùm differtur  
ante usum rationis quia necdum est necessa-  
ria, sed etiam ob defectum debitæ dispo-  
sitionis, quæ perfectam cognitionem requi-  
rit, per quam à corporali cibo discernitur;  
ideo praxis est Ecclesiæ ut non statim detur  
in principio usûs rationis. Nec refert quòd  
tunc admittantur ad Sacramentum Pœnitent-  
iæ; hoc enim ipsis necessariam est, statim  
ac capaces sunt ad peccandum non autem Sa-  
cramentum Eucharistiæ. Tum quia non est  
tantum periculum irreverentiæ; Confessarius  
enim facillè potest in confessione dignoscere,  
an sufficienter doli capaces sint, ut apti cen-  
seantur ad absolutionem Sacramentalem; de  
quo infra aliqua dicentur. Tum quia plu-  
rimùm refert ut prima communio fiat cum  
magnâ devotione, melius est ut differat-  
ur donec ad illam sint apti, per debitam  
cognitionem, ne à principio vilescat. Un-  
de non existimaverim facillè admittendos  
esse pueros ante decimum annum; nec fa-  
cillè differendum ultrâ annum duodecimum,  
aut decimum tertium. Prudenter tamen à  
Confessariis capacitas est examinanda, & se-  
cun-

cundùm illam aut differentia est aut præve-  
nienda S. Communio. Monendi autem sunt  
parentes & quorum interest, ut tempesti-  
vè pueros curent instrui circa hoc Sacrosan-  
ctum Sacramentum, ut non more Psittac-  
orum tantùm sciant respondere, quidnam  
in illo contineatur; sed ut paulatim anhe-  
lent, & quodammodo esuriant hunc cæle-  
stem cibum, ut sic non tantùm puerili no-  
vitate accedant, sed verâ devotione. Et sciant  
non parvi reos esse criminis, si in hoc negli-  
gentes fuerint. Et præcipuè si ipsorum negli-  
gentiâ fiat, quòd ubi ad debitam ætatem per-  
venerint, Sacramentum communionem non perci-  
piant.

Notandum verò quòd in casu periculi mor-  
tis non sit expectandum ad decimum aut duo-  
decimum annum. Sed si capaces sint ad Sa-  
cramentum pœnitentiæ, etiam hoc Sacramen-  
tum per modum viatici debeat ipsis dari, ne  
sine hac spiritali alimonîâ ex hac vitâ disce-  
dant, & sic tanto augmento gratiæ & gloriæ,  
(quod illi correspondet) frustrentur. Dummo-  
do capaces inveniantur, ut reverenter reci-  
piant.

Quantum ad amentes videatur S. Tho-  
mas 3. p. q. 80. a. 9. ubi sic discurret: *Aliqui  
dicuntur habere usum rationis dupliciter: uno  
modo, quia habent debilem usum rationis,  
sicut dicitur non videns, qui malè videt: & quia  
zales possunt aliquam devotionem hujus Sacra-  
menti*

menti concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis. Aut igitur nunquam habuerunt usum rationis, sed sic à natiuitate permanserunt; & sic talibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præcessit huius Sacramenti devotio. Aut non semper caruerunt usu rationis; & tunc si prius quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio huius Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitûs, vel expuitionis.

Ut autem sciatur an habeant sufficientem usum, resolvi debet eo modo quo supra de pueris dictum est, scilicet quod S. Communionem poterunt accipere, saltem pro viatico, si apti iudicentur ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Tandem etiam inquiritur de mutis, & surdis; non de illis qui post præhabitum usum rationis muti aut surdi fiunt, sed qui tales fuerunt à Natiuitate; ita ut numquam loqui poterint, vel audire, sic enim numquam capaces fuerunt ut instruerentur. Ac proinde nullam huius Sacramenti notitiam habent, ut hoc Sacramentum à corporali pane distinguant; hoc enim non est perceptibile solo interiori intellectu, nisi exteriori disciplinâ instruantur.

Resp. Quod interdum illis Sacra Communio dari possit, præcipue in periculo mortis, si appa-

appareat quòd aliquam saltem habeant cognitionem illius, quod aliquando fieri poterit per nutus aut similia signa, quibus multa percipiunt quæ ad bonum corporale, & bonos mores conducunt. Similiter ex aliorum imitatione excitari possunt ad aliquam reverentiam & devotionem, per hoc quòd videant, quòd hoc Sacramentum ab aliis adoretur, & reverenter tractetur per elevationem manuum, tunctionem pectoris & similium. Et cum non sint sine usu rationis sicut pueri, sed sæpè acutissimi sint ingenii, facillè sufficientes iudicandi sunt, ut saltem in mortis periculo viaticum accipiant. Imo aliquando ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ circa Pascha. Quin etiam hæc signa talia esse possunt ut id sæpius ipsis permittatur ex devotione.

## ARTICULUS XVI.

*Utrum liceat moribundo accipere Eucharistiam ab Excommunicato denunciato?*

**A**liqua circa hoc dicta sunt supra tract. de hæreticis; Et sequenti art. aliquid dicitur: Utrum cum illis communicare liceat in spiritali potestate. Quia tamen in locis Missionis potest occurrere ille casus circa S. Communio-

munionem, specialiter aliquid hic dicendum est.

Respondetur autem affirmativè. Sic tenet Sotus in 4. dist. 13. q. 1. a. 9. Bonacina de Cenſ. diſp. 2. q. 2. p. 2. ſ. 4. n. 8. Candidus tom. 3. de Euchar. diſp. 2. a. 21. dub. 22. Et alii plurimi.

Prob. 1. Ecclesia cum ſit pia mater nemini vult denegare ea quæ ad fidelium ſalutem aliquo modo ſunt neceſſaria, maxime in mortis articulo; licet igitur S. Eucharistiæ Sacramentum non ſit omninò & abſolutè moribundis neceſſarium, tamen eſt neceſſarium ſecundùm quid, ad ingentes & validiſſimas tentationes in illo extremo conſictu ſuperandas, & ad notabile divinæ gratiæ augmentum, cui poſt mortem æterna gloria correfpondet; non videtur eſſe intentio tam piæ matris defraudare filios ſuos hoc tanto bono, ſi illud non niſi ab Excommunicato, etiam non tolerato, recipere poſſint; ſed ſicut ob minores cauſas permittit ut cum excommunicatis non toleratis communicent, cenſendum eſt quòd etiam hoc toleret in illo caſu neceſſitatis.

2. Permittit Ecclesia ob gravem utilitatem temporalem fidelibus communicare cum Excommunicatis, v. g. ſi non niſi ab ipſis accipere poſſint neceſſarium cibum, aut medicinam in gravi infirmitate. Ergo ſimiliter judicandum eſt majori ratione ob neceſſitatem ſpiritualem ſpiritalis cibi, ſcilicet

cet

et S. Communionis, quæ tunc etiam deferretur pro ſpirituale medicinâ, quæ eſt neceſſitas ſatis gravis in mortis articulo. Tum etiam quia ſumptio S. Eucharistiæ aliquando per accidens confert primam gratiam; Si quis ipſam per Sacramentum Pœnitentiæ non acceperit, quod ſæpè fieri poteſt in mortis articulo; ac proinde tunc quodammodo eſt abſolutè neceſſaria, non ſolùm per modum cibi ſpiritalis, ſed etiam medicinæ.

3. Cap. *Quod in te* de Pœnit. & Remiſſ. Permittitur moribundo accipere viaticum tempore interditi: ſed hoc facit interdictum in loco, quid excommunicatio in excommunicato. Imo interdictum potuit poſitum fuiſſe ob delictum proprium communicaturi, excommunicatio autem miniſtri eſt ob delictum ipſius miniſtri. Ergo ſi hoc liceat tempore interditi, etiam licebit in caſu quo viaticum accipi non poteſt, niſi à nominatim excommunicato

Objicies 1. S. Th. 3. p. q. 82. a. 9. abſolutè negat Sacram Communionem licitè recipi ab excommunicato, non excipiendo caſum hujus articuli. Ergo videtur ſecundùm ipſum non eſſe excipiendum.

2. Ecclesia pro mortis articulo tantùm permittit ab excommunicato accipere Baptiſmum & Pœnitentiã; & quoad Pœnitentiã hoc declarat Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. ut ſupra oſtendimus tract. de Hæreticis a. 9.

Q 4

Unde

Unde colligitur hoc extendi non posse ad S. Eucharistiam, alioquin hanc exceptionem etiam expressisset.

3. Præceptum accipiendi viaticum non debet intelligi nisi sub conditione, quod congruè & decenter possit accipi; quâ ratione supra dictum est, non posse Sacerdotem celebrare sine sacris vestibus ut communionem dare possit infirmo in mortis articulo. Sed viaticum non potest congruè & decenter administrari à Sacerdote nominatim excommunicato: Ergo tunc præceptum non obligat.

Ad 1. Resp. Argumentum illud esse merè negativum, ac proinde nihil probare.

Ad 2. Quòd licet viaticum non sit absolute necessarium in illo articulo sicut Baptismus & Pœnitentia, sufficit quòd sit necessarium secundum quid. Imo aliquando defectu Pœnitentiæ est quasi omnino necessarium, uti dictum est.

Ad 3. Nullam adesse indecentiam quando hoc Ecclesia permittit, uti hic sustinemus ipsam permittere. Celebrare autem sine vestibus sacris semper est indecens ob irreverentiam tenentem se ex parte tanti Sacrificii.

ARTI-

## ARTICULUS XVII.

*Vtrum in necessitate liceat viaticum accipere ab hæretico denunciato?*

**R**esolutio hujus difficultatis eadem est cum resolutione præcedentis articuli, quia tamen specialia sunt argumenta, specialiter est proponenda, ut illa solvantur.

1. Argumentum est quia c. *si quis dederit* expressè prohibetur communionem accipere ab hæretico.

2. Ex Decreto Victoris 111. in Conc. Capuano, ut habetur tomo 3. p. 2. Conc. Generalium fol. 407. Et refert Baron. ad an. 1087. §. 14. ubi dicitur: *Pœnitentia verò & Communio, à nemine nisi à Catholico suscipiatur; Quod si nullus adsit Catholicus Presbyter, rectius est sine visibili communione persistere, & invisibiliter Domino communicare, quàm eam ab hæretico sumendo à Deo separari: nulla enim (ait Apostolus) conventio Christi cum Belial, neque pars aliqua fidei cum infideli, omnis autem hæreticus infidelis est.* Eadem ad eundem annum habet Spondanus.

3. Ex argumento *sed contra* S. Thomæ 3. p. 82. a. 9. ubi ex S. Gregor. lib 3. Dialog. c. 31. de S. Hermenegildo refert, *Quòd Pater perfidus Ariannum Episcopum misit ad filium, ut*

Q

de

de ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, sed vir Deo deditus Ariano Episcopo venienti exprobravit ut debuit.

Resp. Ad 1. Quod ille textus & alii similes tantum loquantur extra mortis articulum, vel in illis circumstantiis in quibus id fieri non posset sine scandalo: aut quando hoc opus erat omittere in quâ talis detestatio hæreticorum necessaria erat pro fidelium confirmatione & hæreticorum confusione. Et idem respondetur ad 2.

Ad 3. Quod ille Episcopus Arianus mitteretur à perfido Patre, ut per communionem illam filius quodammodo confiteretur se Arianae hæresi consentire. In similibus ergo casibus in quibus sequeretur apprensus professio hæresis, aut gloriatio hæreticorum, non posset moribundus ab hæretico Sacerdote viaticum accipere.



## TRACTATUS IX.

De Pœnitentia.

## ARTICULUS I.

Virum aliqui casus reservati sint Missionariis?



Resp. Negative. Quod clarissime patet in facultatibus concedi solitis à S. Sede Missionariis Regibus. Videl. *Abfolvendi ab hæresi, & Apostasiâ à fide, & à Scismate, quoscumque etiam Ecclesiasticos, tam seculares, quàm Regulares in foro Conscientiæ tantum.* Item, *Abfolvendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœna contentis.*

Nullos autem casus novi quos sibi unquam in illis partibus Episcopi aut Vicarii Generales reservarunt. Nec jam ibi amplius locum habet reservatio præcedentium Episcoporum, antequam illa loca ab obedientia Sedis Apostolicæ deficerent.

Quod notandum est pro multis civitatibus & pagis qui à paucis annis propriis suis Episcopis suberant. Uti factum est in Diocesi Sylva Ducenti & in totâ Majoriâ. Cujus ratio est, quia

quia facultates suprapositæ Sedis Apostolicæ ad illa etiam loca jam se extendunt, cum eadem ibi sit ratio. Tum etiam, quia summus Pontifex concedens facultatem absolvendi ab omnibus sibi reservatis etiam in Bulla Cænæ, censetur etiam facultatem dare absolvendi à reservatis quondam Episcopis, qui enim concedit id quod majus est, censetur etiam concedere id quod minus est.

Advertendum tamen quòd Missionarii non debeant esse adedò faciles ad absolvendum à casibus reservari solitis: Quando enim Ecclesia reservat gravissimos aliquos casus, id facit in bonum Pœnitentium, ut magis à similibus peccatis reservatis absterreantur, & efficaciori proposito emendationis conterantur, & cognoscant verè gravia esse quæ Ecclesia solet reservare. Licet igitur ob urgentes rationes in illis partibus illa reservatio sit ablata, per facultatem ab illis casibus absolvendi; cavere tamen debent Missionarii ne facilè nimis manus imponant; sed talia peccata pro gravitate suâ ponderent, & dum opus judicaverint, differant absolutionem.

## ARTICULUS II.

*Vtrum recens conversus explicare debeat peccata ipsi hæresi involuta?*

**S**ensus quæsitæ est, an ille qui ab hæresi convertitur, in primâ suâ confessione specialiter exprimere debeat peccata quæ commisit contra præcepta Ecclesiæ, v.g. quòd non sit annuè confessus tempore hæresis, quòd non communicaverit circa Paicha, quòd non audiverit Sacrum diebus festis, quòd non jejunaverit, & similia.

Resp. Negativè. Quia eo ipso quo confitetur se edusque vixisse in hæresi, virtualiter dicit se nulla præcepta Ecclesiæ toto illo tempore observâsse. Eo modo quo is qui per aliquot annos vixit in continuâ fornicatione, non debet exprimere tactus & oscula, & alia quæ fornicationem regulariter comitantur, aut potius in ipsâ involuntur.

Satisfit igitur per confessionem aliorum peccatorum, Nisi specialem aliquem contemptum Ecclesiæ, aut blasphemias, aut calumnias contra Ecclesiasticos plus quàm regulariter ab hæreticis fit, effutiverit, aut scandalum dederit, aut alios perverterit, quod Confessorum prudentiæ committitur.

## ARTICULUS III.

*Utrum ob multitudinem Pœnitentium absolutio dari possit non integrè confessis?*

**Q**Uòd aliquando dari possit absolutio non integrè confessis, est certum, si hoc necessitas requirat, Videl. si pœnitens dicto uno alterovè peccato perdat loquelam, aut in naufragio aut simili mortis periculo, quando multi audiendi sunt, qui singuli non possint in tam brevi tempore omnia sua peccata confiteri, imo tunc sufficeret unum solum exprimere peccatum etiam veniale, si non possit non nisi publicè aliis audientibus confessio fieri.

Alios casus omitto qui se tenent ex parte pœnitentis, videl. periculum infamiæ aut gravissimi damni.

Solum hic moveo casum quando in die valde solemnì v. g. Paschatis aut Natalis Domini, aut similibus, tantus est populi concursus, ut omnes integrè audiri non possint, eò quòd Confessarius solus sit, & ( uti fit passim in Missione ) debeat prædicare & Sacrum cantare seu dicere, an tunc liceat absolvere non integrè confessos, post confessionem unius aut alterius peccati, sicut in naufragio. Eò quòd censi possit quædam moralis

neces-

necessitas, aut impossibilitas omnes audiendi.

Resp. Nullatenus hoc licere, nec per talem confessionem satisfieri. Nulla enim tunc est necessitas, qui enim illo die audiri non possunt, altero die poterunt confiteri. Nec obstat quòd solemnitas aliqua sit cui annexa est indulgentia plenaria, quam non nisi confessus & communicans illâ die lucrari potest. Illa enim non est etiam necessitas ratione cuius fieri possit non integra confessio. Nec etiam refert quòd sit fortè ultima dies, quâ impleri possit præceptum de annuâ confessione aut communionem; non enim faciet contra illud præceptum confessionem differendo, donec ipsam integrè possit facere. Nisi fortè ex præviâ negligentia, quando prævidit illud impedimentum superventurum.

Maximum etiam sequitur inconveniens ex contrariâ sententiâ, & intolerabilis abusus, quia graviores peccatores non solent nisi in gravioribus solemnitatibus confiteri, imo sæpè non nisi semel in anno circa Pascha, & cum tunc præcipuè solet esse tantus populi concursus, si satisfacere possint unum vel alterum peccatum confitendo, fiet ut nunquam integrè confiteantur, subicendo graviora peccata.

Imo qui in casu naufragii aut aliâ simili necessitate non possunt integrè confiteri, tenentur quàm primum habitâ opportunitate reliqua peccata clavibus Ecclesiæ submittere, quod in casu nostro non est ab illis peccatoribus

ribus

ribus expectandum, qui gaudent quòd sic possint evadere.

Reprobanda est igitur talis praxis ( si apud aliquos exerceatur ) ne dum necessitas urgetur, Sacriligium committatur.

## ARTICULUS IV.

*Quid agendum sit cum pueris venientibus ad confessionem ?*

**M**ultoties anguntur confessarii quid agere debeant cum pueris, in quibus invenitur sæpè parva capacitas, & tamen apparet obligatio saltem ad annuam confessionem, & quid si sæpius ultra obligationem veniant ad confitendum ? Pro cuius resolutione, in primis certum est, quod quando capaces sunt ad peccandum mortaliter, præcepto annuæ confessionis obligentur. In c. enim *omnis utriusque* ex Lateran. Concil. sub Innoc. III. & in Trid. sess. 14. c. 5. Omnes Christi fideles postquam ad annos discretionis pervenerint, obligantur semel saltem in anno, proprio Sacerdoti confiteri, aut alteri ex ipsius permissione, aut S. Sedis privilegio. A quo præcepto nulla ætas excipitur eorum qui in peccatum mortale lapsi fuerint, nam ex hoc ipso satis apparet illos sufficienter rationis discretionem esse assecutos.

Hujus

Hujus autem discretionis probatio spectat ad prudentiam Confessoriorum, non solum ex ætate septem annorum, quando regulariter talis discretio inchoatur, & præsumitur adesse; sed multo magis ex ingenii & educationis qualitate, quia multi post eam ætatem, alii etiam antea, illam discretionem attingunt, ut non tantum venialiter, sed etiam mortaliter peccent, prout exemplum adfert S. Greg. lib. 4. Dial. c. 18. de puero quinquennali in blasphemis moriente ac damnato.

Postquam autem Confessarius consideratis circumstantiis reperit puerum verè & deliberatè commisisse peccatum mortale quod confitetur, ulterius examinare debet, utrum verè de illo doleat, non ex motivo verè humano videl. ex timore punitionis paternæ, sed supernaturali per fidem cognitio, & utrum sufficienter cognoscat per Sacramentum Pœnitentiæ illud peccatum esse remittendum. Sunt enim passim aliqui aded naturâ vagi, & malè educati, & instructi, ut licet satis dispositi sint ad mortaliter peccandum, non tamen ad verè dolendum, aut credendum virtutem hujus Sacramenti: nec tales sunt ut tam brevi tempore à Confessario ad debitam Pœnitentiam possint disponi. Erubi est maxima Confessoriorum anxietas, dum ab una parte necessitatem vident ut absolvantur, & ab alterâ parte incapacitatem veri doloris: sine quo absolutio Sacramentalis ipsis non potest prodesse.

Si

Si igitur videant quasi moraliter certò, quod non sint sufficientes pro habendo dolore requisito remittendi sunt sine absolutione cum admonitione, ut procurent ut aut in Catechismo, aut alio modo instruantur; aut si fieri possit sæpiùs redeant ut ab ipso Confessario instruantur. Si autem talia signa præbeant quibus occasionem præbent dubitandi, sub conditione sunt absolvendi, maximè in mortis articulo, quia in casu necessitatis in dubio inclinandum est in favorem animæ.

Si verò sæpius ad confessionem veniant sine peccatis mortalibus, non facile Sacramentalis absolutio, sed benedictio est danda: aut saltem non nisi sub conditione debitæ dispositionis, ne sine causâ fructu hujus Sacramenti frustrentur. In nulla autem re magis debent Catechistæ, aut alii instructores esse solliciti, quàm ut pueros instruant ad bene confitendum, & salutariter dolendum de peccatis, ne illius defectu æternaliter damnentur, & intercè defectu gratiæ de uno peccato in alia incidant.

Caveant autem ne pueros perterrefaciant minis humanæ pœnæ, ne assuecant potius ex illius metu, quàm ex supernaturali motivo dolere.

ARTI-

## ARTICULUS V.

*Utrum validè absolvat Confessarius complicem suam in carnali copula?*

**R**es illa maximè cavenda, & periculosa est in partibus missionis. Hanc difficultatem sic breviter resolvit S. Th. in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. q. 2. ad 1. Et habetur in suppl. q. 20. a. 2. 1. *Dicendum quod in tali casu nec Sacerdos debet audire confessionem mulieris, cum quæ peccavit, de illo peccato, sed debet ad alium mirrere, nec illa debet ei confiteri, &c. Tum propter periculum, tum quia est minor verecundia: si tamen absolveret, absolutæ esset.*

Quæ ultima verba sunt intelligenda in occasione, ubi abest periculum reincidendi, v.g. si semel tantùm ex merâ fragilitate lapsi sint, & ad mentem redeuntes veram faciant pœnitentiam. At si sæpius reincidant, vix est possibile quod talis confessio non sit sacrilega, vel defectu doloris, vel præcipuè ratione periculi novæ complacentiæ; vel ex parte tœminæ confitentis, vel ex parte Sacerdotis, Adest etiam periculum diutius in eodem peccato perseverandi. Ideo Fagundez præc. 2. lib. 4. c. 3. n. 15. dicit esse peccatum mortale talem confessionem audire. Idem tenet Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 3. n. 3. ubi gravissimè hoc malum meritò exaggerat.

Et

Et in Conc. Mediolan. VII. tit. de Sacram. Pœnit. expressè sub pœnâ excommunicationis latae sententię prohibetur, nequis complicitis criminis confessionem excipiat. Ut refert Bonac. de Pœnit. q. 7. p. 5. §. 5. n. 10.

Nec refert quod dicatur, quod flammæ libidinis censeantur extinctæ, quando veniunt ad confessionem. Ut enim inquit S. Hieron. Epist. ad Amand. *Sola libido, etiam in ipso tempore pœnitendi, præteritos stimulos patitur, & irritillationem carnis, & incentiva peccati.*

Referam hęc verba Pontii tibi supra. Res est periculis plena, & occasio committendi non pauca sacrilegia. Quem enim animum esse cogitas & Confessario & Pœnitenti, qui libidine inardescunt, amicitia & familiaritate tenentur; cum & pœnitens animum suum illi aperit, quem tenerè diligit, & ea repetit, in quibus pariter delectati fuerunt, & Confessarius in eotribunali, in quo nullum mendacium dici potest, nudum videt amicæ pectus? Itaque, inquit ratione periculi novi consensus, & committendi sacrilegii, istud illicitum assevero. Hęc Pontius.

Neque excusat necessitas, ne magnam verecundiam subire cogatur apud alium Confessarium; nam hoc sequitur ex quâcumque confessione, nemo enim gravia confitetur peccata, quin debeat subire pudorem & verecundiam apud Confessarium. Imò si verè pœniteat, malle debet hanc verecundiam subire apud

apud alium Sacerdotem, quàm cum minor pudore apud suum complicem se exponere periculo invaliditatis pœnitentię & sacrilegii.

Tandem etiam longâ experientiâ comperitum est ferè omnes similes confessiones tandem factas esse sacrilegas, novis carnis titillationibus & pollutionibus fuisse sædatis in ipso actu confessionis: & sic plurimis annis aliquos in sacrilegæ libidinis cæno se volutasse, ex malitiâ Confessarium & pœnitentium simplicitate aut simili libidine, quod quàm sit abominandum, non est qui facilè non perpendat.

## ARTICULUS VI.

*De satisfactione in confessione pro gravibus peccatis injungendâ.*

Concil. Trident. sess. 14. de Pœnit. c. 8. graviter circa satisfactionem injungendam monet Confessarios his verbis: *Debent Sacerdotes Domini quantum spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutare & convenientes satisfactiones injungere, ne si forè peccatis conveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes effici-*

efficiantur. Habeant autem prae oculis ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novam vitam custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam & castigationem, &c. Ad quae verba bene attendant, & cum timore perpendant omnes Confessarii, ne alienorum peccatorum participes efficiantur. Et ne sapius cum Propheta clamare debeant: *Ab alienis parce servo tuo.* Quod omnes animarum curam habentes debet deterere.

Quales autem olim in Ecclesiâ impositione fuerint peccantibus penitentiae, videri potest in jure Canonico: c. *Qui pejerat* Et c. *Qui compulsus*, ubi per juro statuitur ut quadraginta diebus in pane & aquâ poeniteat, praeter similes abstinentias & alias poenitentias per septem sequentes annos. Et in Conc. Ancyrano celebrato anno 308. c. 16. Aliquibus statuitur tempus poenitentiae ad 15. annos, alijs ad 20. alijs etiam ad 25. imo aliquibus usque ad finem vitae. Item cap. 20. imponitur adulteris poenitentia septem annorum. Et cap. 22. homicidis voluntariis usque ad finem vitae. Vide Caranza in sum. Concil. pag. 26. & sequent.

Concil. Eliberti. quod erat Provinciale circa tempora Sylvestri primi, similes statuit poenitentias c. 7. *Si quis fidelis post lapsum mœchie, post tempora constituta, actâ poenitentia denud fuerit fornicatus, placuit eum nec in sine habere Communionem.* Videatur etiam cap. 12. de mul-

mulieribus quæ lenocinium fecerint. Et c. 13. de Virginibus Deo Sacratas. Et cap. 14. de Virginibus saecularibus si mœchatæ fuerint. Caranza ubi sup. p. 39.

In Conc. Niceno. 1. Sub Sylvestro Can. 11. Negantibus fidē imponuntur decem anni poenitentiae, aut pauciores, prout levius vel gravius delinquerent. Ita similiter in alijs Concilijs.

Modus autem quo hæc poenitentia fiebat regulariter septem annis, hic erat: Toto illo tempore sequestrabantur poenitentes à communione. Insuper & jejunijs & abstinentiis in cinere & cilicio vacabant, & publicè in Ecclesiâ lamentabiliter comparebant. Moderatio tamen relinquebatur Episcopis facienda secundum signa doloris & humilitatis. Quorum poenitentiarum ab omni antiquitate in Ecclesiâ plurima sunt exempla & testimonia.

Fateor quod publicæ illæ poenitentiae correspondebant publicis peccatis; inde tamen colligi potest, quales pro foro secreto Sacramenti statui deberent, si rigori primitivæ Ecclesiæ Confessarii se conformarent. Sed partim ex nimia ipsorum indulgentiâ, & partim ex infirmitate temporum nostrorum factum est, ut nimis remittatur antiqua illa severitas satisfactionum. Ubi bene notat noster Petrus à Soto tractatu utilissimo de Institut. Sacerdot. tit. de Sacramentali satisfactione lect. 2. Olim enim dum ferretur charitas fidelium, etiam illi qui ex fragilitate labebantur in peccatum,

catum, ferventiori dolore convertebantur, & nullam satis gravem pœnitentiam existimabant, ut pro gravitate peccati satisfacerent; satis benignè secum agi arbitantes; quod vel sic multò graviore purgatorii pœnas, (omnes præsentis vitæ pœnitentias longè excedentes) possent evadere, aut saltem diminuere. Modò verò frigescente omninò charitate condescendit Ecclesia pœnitentium infirmitati, mavult enim modicâ impostâ pœnitentiâ reliquum divino iudicio in purgatorio relinquere, ubi amplius peccari non poterit, quàm per rigidiorè satisfactionem hîc subeundam, à Sacramento Pœnitentiæ abstrerre.

Caveant tamen Confessarii ne nimîâ indulgentiâ ex humano respectu, dum parcunt aliis, imponendo leviores pœnitentias, sibi noceant, & monente Concilio Trid. alienorum peccatorum fiant participes.

Missionarii autem non facilè iudicent mihi cum fidelibus in illis partibus esse agendum; ne ibi hæretici, qui omnia indagant, ut undequaque suum venenum exsugant, sicut olim improbabant nimiam in recipiendis pœnitentibus severitatem, modò irrideant nimiam ad satisfaciendum pro gravibus peccatis pœnitentiæ levitatem. Imò timendum est illam tantam antiquæ Ecclesiæ relaxationem potius provenisse ex humano respectu, & adulatione Sacerdotum, quàm ex ipsorum fide-

fidelium pœnitentium infirmitate. Ipsimet enim non rarò scandalizantur, maximè in illis partibus, dum non inveniunt debitam in Confessariis ad corripiendum & puniendum libertatem. Certum est autem quod vel in hoc sæculo, vel in futuro adæquatè satisfaciendum sit; minori autem hîc solvitur per opera quæ simul sunt meritoria & satisfactoria, quàm in purgatoriis pœnis quæ non sunt meritoria.

## ARTICULUS VII.

*Qualia opera pro satisfactione Sacramentali sint imponenda?*

**P**Ræter omne dubium est, quod opera satisfactionis in confessione injungenda debeant esse pœnalia, quod in primis à Concilio Trid. exprimitur loco supra citato, dum requirit satisfactionem ad prætorum peccatorum vindictam, & castigationem. Quæ non potest esse nisi per opera pœnalia.

Pulchram etiam rationem habet S. Th. in 4. dist. 15. & refertur in supplemento q 15. a. 1 ubi sic discurrit: *Satisfactio respectum habet, & ad præteritam offensam, pro quâ recompensatio fit. & etiam ad futuram culpam, à qua per eam præservamur: & quantum ad utrum-*

R

que

que exigitur quod satisfactio per opera pœnalis fiat. Recompensatio enim offense importat adæquationem, quam oportet esse ejus qui offendit, & ad eum in quem offensa commissa est. Ad æquationem autem in humanâ justitiâ attenditur per subtractionem ab uno, qui plus habet justo, & additionem ad alterum cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est ex ejus parte, nihil subtrahi possit, tamen peccator quantum in ipso est, aliquid ei subtrahit peccando. Unde oportet ad hoc, quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur à peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum ex hoc quod sit hujusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit: Et ideo ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit opus bonum, & in honorem Dei sit, & pœnale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur. Similiter etiam pœna à futurâ culpâ præservat; quia non facile homo ad peccata redit, ex quo pœnam expertus est. Unde secundùm Philosophum, pœna medicina sunt.

In 2. autem articulo inquit utrum flagella hujus vitæ possint esse satisfactoria? Et respondet affirmativè: Quia recompensatio offense præteritis potest fieri ab eo qui offendit, & ab alio. Quando autem fit ab alio, talis recompensatio, vindicationis magis quam rationem satisfactionis habet, unde si flagella que

pro peccatis à Deo infliguntur, sicut aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt: sicut autem ipsius, in quantum ea accipiat ad purgationem peccatorum, eis utens patienter. Si autem omnino eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius, & ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum. Et quia difficile est cum perfectâ resignatione & patientiâ divinâ flagella & tribulationes suscipere, ideo alia opera adjungenda sunt.

Eodem modo etiam possunt applicari alia bona opera ad quæ aliquis ex obligatione equidem tenebatur, videl. jejunia quadragesimæ, auditio Missæ diebus festis, & similia; non tamen consultum est, illa sola imponere, ne inde minus ponderet pœnitens peccata commissa, dum pro pœna suscipit illa, ad quæ alio titulo tenebatur.

His jam præmissis descendendo ad opera quæ specialiter injungenda sunt; S. Th. ubi supra, enumerat tria genera bonorum quæ à Sanctis Patribus judicantur pro satisfactione esse maximè congrua, videl. orationem, jejunium, & eleemosynam: secundùm quod sunt tria bona hominis naturalia, bona animæ, bona corporis & bona exteriora. Quia autem satisfactio debet talis esse per quam aliquod bonum nostrum à nobis ipsis subtrahimus, ad hæc tria omnia opera satisfactionis reducuntur, sicut etiam omnia genera peccatorum re-

ducuntur ad tres causas, videlicet, concupiscentiam carnis contra quam est jejuni-um; & concupiscentiam oculorum, contra quam est eleemosyna; & superbiam vitæ, contra quam est oratio. Aliam insuper subjungit congruitatem: quia omne peccatum committimus vel in Deum, pro quo fit satisfactio per orationem: vel in proximum, & contra hoc ordinatur eleemosyna: vel in nos ipsos, & contra hoc ordinatur jejuni-um. Objicit autem sibi inter cætera, duo argumenta, ex quorum solutione hæc materia non parum elucidatur. Primum est contra orationem: opus quippe satisfactorium, uti dictum est, debet esse poenale, oratio autem poenalis non est, imò potius delectabilis, secundum illud Jacobi 5. v. 13. *Tristatur aliquis vestrum, oret.* Respondet dupliciter. 1. Quòd oratio satisfactoria consistat in gemitibus, & fletibus, & talis oratio est poenalis. Ex quo colligitur quàm malè fiat satisfactio pro magnis peccatis per quinque vel sex orationes dominicas, ore tantum prolatas, sine gemitibus & interiori afflictione cordis, unde consultum est ut cum orationibus vocalibus, aliquando aliqua adjungantur quæ ad internam afflictionem seu humilitatem conducunt, qualia sunt percussiones pectoris, osculationes terræ, expansiones brachiorum aut similia, ne sine ullo sensu tanquam psittaci paucas illas orationes pronuntient. 2. Respondet, Quod licet oratio ha-

beat

beat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis, quia ut dicit Gregor. supr. Ezech. hom. 14. Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis: unde & nervus femoris Jacob ex luctu angeli emaruisse legitur Gen. 32. Quàm procul hinc abest recitatio brevissimæ orationis. Interna mentis intentio requiritur, ut inde caro quodammodo infirmetur. Unde sæpè apta erit poenitentia si injungantur reiterati actus contritionis, per aliquot dies, cum aliqua meditatione ad illos conducente.

2. Arg. S. Thomæ est; Quia sunt alia opera bona quæ magis directè videntur peccatis adversari, videl. flagella seu disciplinæ, peregrinationes, vigiliæ & similia. Respondet: Quod quidquid ad afflictionem corporis pertinet, totum ad jejuni-um referatur, & quidquid in proximi utilitatem expenditur, totum habet rationem Eleemosynæ, & similiter quicumque actus patriæ seu religionis accipit rationem orationis. Quibus insinuat quod etiam sæpè injungendæ sint tales satisfactiones per disciplinas, peregrinationes, jejunia, vigilias & similia. Sed in hoc cautè & prudenter debet procedi, ne pauperibus vix habentibus quod comedant, aut graviter laborantibus injungantur gravia jejunia: Et debilibus disciplinæ, cilicia aut graves peregrinationes. Sed discretè considerandus est status & cõditio poenitentiu.

R 3

Quan-

Quantum ad divites nullum judico tam efficez opus satisfactionis, quàm Eleëmofynam: nihil enim illis hominibus (ut plurimum avaris) ad eò pœnale est, quàm pecuniam effundere, quæ ipsis quodammodo est sanguis affectus sui. Ac proinde valde suadendum est ut ipsis regulariter pro peccatis Eleëmofynæ imponantur majores vel minores, secundum gravitatem peccatorum, & divitiarum abundantiam.

Cavendum tamen ne Confessarii illas Eleëmofynas vel sibi vel suorum necessitatibus velint applicari, ne dum alienæ avaritiæ student medicinam adhibere, ipsimet sibi similia vulnera infligant, aut saltem ansam tribuant, minus rectè de suâ intentione judicandi.

Contra peccata carnis imponendæ sunt macerationes, tum quia pœnitens in illo genere debet minus habere, in quo per excessum plus habuit, Deum offendendo. Tum etiam quia pœnitentiæ non solùm debent esse satisfactoriæ, sed etiam medicinales, non enim Sacerdos in confessione tantùm judicem agit, sed etiam medicum.

Pro aliis peccatis, v. g. odii, invidiæ, superbiæ, iracundiæ & similibus plurimum valent opera humiliationis, cum illa peccata ex superbiâ & amore proprio trahant originem; tum etiam quia diabolus qui homines ad peccandum allicit, nullâ re magis, quàm per actus humilitatis superatur.

Tena-

Tempore autem Jubilæi, aut diebus quibus lucrari possunt Indulgentias, leviora possunt opera injungi, in quantum sunt satisfactoria. cum per Indulgentias pœnæ peccatis debiti remittantur: non verò in quantum medicinæ sunt.

Advigilent igitur bene Confessarii, ut in hoc muneri suo exactè satisfaciant, memores semper ejus vices in tribunali illo exerceant, qui in die judicii ab illis exiget, si ex humano affectu, non rectè in hoc processerint. Imò ipsi etiam pœnitentes contra ipsos insurgent, quod ex ipsorum nimia indulgentiâ, vel diutius in peccatis perseveraverint, vel gravioribus tormentis in purgatorio fuerint purgandi. Sicut merito contra filium medicum insurgeret infirmus, si nimis ad suos clamores attendendo, blandè egisset contra malum, quod feveriori remedio fuerat curandum, unde morbus diutius prolatatus, aut non ex toto fuerit ablatus.

Magnum bonum Ecclesiæ à bonis Confessariis dependet, unde merito quidam vir Sanctus aliquando asseruit, quod si ipsi darentur veri & idonei Confessarii, totam facile Ecclesiam in moribus reformaret.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum absolvi possit moribundus qui nulla signa pœnitentiae dedit?*

**H**ic casus sæpè potest in Missione contingere, quia autem multi moderni (ex antiquis enim vix aliquem invenio) in hac materia nimis temerariè procedunt, passim absolvendo, saltem sub conditione, putantes se obligari in illo statu sequi probabilem sententiam, proponam diversos casus, & ostendam quidnam in illis certum sit, & quid probabile, & quid improbable.

1. Casus est: Quando moribundus loqui non potest, ostendit tamen Sacerdoti præsentis signa doloris, utrum sit absolvendus?

Pro quo distinguendum est in illa doloris exhibitione, aliquando illa exhibet in ordine ad claves seu ad confessionem, ut si statim antea dum tenuit loqui posset, dixerit Confessario se dolere de peccatis, & velle confiteri, & subito opprimitur, ita ut confiteri non possit. 2. Quando illa exhibet non in ordine ad confessionem (cujus nullam fecit mentionem) sed tantum præsentem Sacerdote tundit pectus & dicit Miserere mei Deus, vel similiter.

Si primo modo illa signa sint exhibita, omnino est absolvendus, quia talis verè confitetur, saltem in genere quantum potest, ac proinde

inde est absolvendus. Licet enim illa signa non sufficerent extra articulum mortis, in illo tamen articulo ob necessitatem prementem sufficiens fundamentum est absolvendi, cum aliter fieri non possit. Dices: Confessio & contritio sunt partes distinctæ Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde cum talis moribundus tantum exhibeat actum contritionis, & non confessionis, non erit sufficiens ad absolutionem impendendam. Resp. Quod nihil obstat quod per eundem actum utrumque fiat, sicut in omni confessione interior contritio non aliter exhibetur quàm per dolorosam confessionem, qui enim dicit se dolere de peccatis, & petit remedium, per hoc censetur confiteri prout in tali casu possibile est.

Quoad 2. modum major est difficultas: Plurimi enim Auctores, videl. Suarez disp. 23. sect. 1. n. 13. Et Vasquez q. 91. a. 2. dub. 1. Et Bonacina, & alii tenent quòd absolvi non possit. Sic enim dicit Suarez: Non satis est adhibere signa contritionis, sed necessarium est illa adhibere in ordine ad Claves, quia contritio, vel manifestatio ejus per se non est sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ, sed quando informat confessionem aliquam, cum quâ perficit accusationem Sacramentalem, & hoc est exhibere signa in ordine ad claves. Ita Suarez.

Dicendum tamen, quòd licet non constet utrum illa signa doloris ordinentur ad claves, quia hoc non potest infirmus exprimere, præ-

Sumendum tamen est in favorem moribundi, & sic absolvendus est saltem sub conditione. Ita censet Layman lib. 5. tract. 6. cap. 8. Et Lugo de Sacr. Pœnit. disp. 17. sect. 2. Ex dictis colligi potest quid dicerent præfati Auctores in casu quo moribundus nulla omnino signa exhibuisset, de quo infra.

2. Casus est, quando moribundus absente Confessario petit confessionem, & signa doloris exhibuit; utrum possit à superveniente Confessario absolvi?

Negativè respondent auctores supra relati circa secundum modum, & præterea noster Petrus du Fay de Sacr. Pœnit. q. 9. a. 3. disp. 3. ad 9. arg. Et Choquetius dissert. de Confess. per litteras cap. 7. n. 21. & Alvarez 1. 2. q. 19. a. 6. disp. 80. Qui tres sunt Ordinis nostri viri doctissimi, quibus etiam consentit Turrianus de Pœnitent. q. 9. a. 2. disp. 32. dub. 4. quos omnes citat Diana p. 3. tract. 3. resol. 4.

Potissimum ipsorum fundamentum est decretum Clementis VIII. datum 2. Junii. 1602. quo prohibuit docere, quod liceat per litteras vel internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.

Alii autem, qui sunt in maximo numero, tenent talem posse & debere absolvi. Sic tenent etiam ex Thomistis S. Antoninus 3. part. tit. 10. cap. 2. Sylvester v. Confessor. 3. n. 16. Paludanus in 4. dist. 21. q. 2. a. 2. con. 2. Ja Cruz

in

in direct. conscientia p. 2. de Sacr. Pœnit. q. 3. dub. 8. concl. 2. Sylvius, Layman, Pontius, Lugo & alii plurimi. Qui contra decretum Clementis adferunt Paulum V. in Rituali quod approbavit & auctoritate Apostolicâ toti Ecclesiæ proposuit, ubi sic habetur: *Si inter confitendum, veletiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela agro deficiant, moribus & signis conetur Sacerdos; quoad fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel (si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit) absolvendus est.*

Quomodo autem hoc Rituale non repugnet decreto Clementis VIII. latè enucleat Lugo ubi sup. sect. 4. qui ibi videatur: quidquid tamen sit de veritate, hæc secunda sententia, si non probabilior, saltem omnino probabilis est. Ac proinde illam potest, imò fortè debet Confessarius sequi, ne moribundus destituatur necessario Sacramento, quod probabiliter saltem conferri potest. Ac proinde tutissimè talis absolvi potest saltem sub conditione. Nec hoc est propriè per Internuncium confiteri, quod prohibitum est.

Præcipua autem difficultas est in 3. casu, videlicet si moribundus non petiit, nec dedit ullum signum pœnitentiæ, nec in præsentia Confessarii, nec aliorum qui de hoc possent testari. Aliqui moderni putant etiam talem esse absolvendum, dummodo confiteri quod

R 6

semper

semper Christianè vixerit, imo quòd absolvi debeat, eò quod suam sententiam judicent, saltem esse probabilem, & ita passim practicant.

Fundant autem se 1. in facto Clementis VIII. de quo referunt quod aliquando videns aliquem cadentem de summitate fabricæ S. Petri, ipsum absolverit dicendo: si es capax, absolvo te à peccatis tuis. 2. Quia Gregor. XV. antequam esset Pontifex, existens Archiepiscopus Bononiensis, memoriale edidit Confessoriorum, in quo cap. 1. de formâ Sacr. Pœnitentiæ n. 16. id ita in praxi observari præcepit. 3. Etiam ratione: Quia homo qui Christianè vixit, in simili periculo constitutus, potest interius elicere actum attritionis, quo disponatur ad absolutionem Sacramentalem; ac proinde poterit saltem sub conditione absolvi. Pro quâ sententiâ tantùm invenio citatos Molfesum in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 7. & Homobonum in exam. Eccles. p. 1. tr. 5. cap. 58. q. 84. Et Antonium de Litteratis. Multi autem moderni qui non scripserunt passim eandem tenent & practicant.

Respondendo tamen negativè, nec posse talem moribundum etiam sub conditione absolvi, eò quod hæc sententia non sit habenda pro probabili. Sic tenet ferè omnes Auctores: Vasquez q. 91. a. 2. dub. 1. n. 1. ubi dicit nullum esse qui contrarium teneat. Coninch disp. 5. n. 28. & disp. 7. dub. 10. n. 96 ubi expressè dicit oppositam sententiam non esse probabilem.

Lay-

Layman lib. 5. tract. 6. c. 12. n. 4. Reginaldus. Turrianus, Henriquez, & P. Lugo ubi sup. tract. 17. sect. 3. Qui dicit, quod ex suis PP. Societatis nemo sit qui illam docuerit. Et licet Diana dicat quod aliqui teneant contrarium, asserit Lugo quod hoc tantùm intelligi possit de aliquibus privatis Patribus, qui nō scripserunt.

Prob. nostra resolutio 1. Quia tam Decreta Pontificum, quàm Conciliorum non aliter judicantur moribundum absolvendum, quàm si desiderium confitendi per se, aut saltem per aliorum testimonia Confessario manifestarit: Unde sequitur quod si nulla omnino signa dederit, absolvi non possit.

Pr. 2. Ratione, ut puto, peremptoriâ: Non est probabile quod possit dari absolutio Sacramentalis nisi præcesserit Sacramentalis confessio, sed Sacramentalis confessio non potest fieri nisi per aliqua signa exteriora, quibus pœnitens se accusat, igitur non est probabile quod talis possit absolvi. Maj. Prob. Quia cōfessio est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, sed non est probabile quod Sacramentum constare possit absque suis partibus essentialibus. Min. etiam Prob. Quia omne Sacramentum est signum visibile, seu sensibile, sed Sacramentum Pœnitentiæ non redditur sensibile nisi per signa exteriora partium suarum essentialium: Ipsa etiam contritio quæ est altera pars essentialis Sacramenti, redditur sensibilis per confessionem dolorosam, ergo ubi talis confessio non

R 7

præ-

præcedit, per signa sensibilia, non potest sequi Sacramentalis absolutio. Nec refert quod Christianè vixerit, quia ex hoc tantum sequitur quod præsumendum sit, quod si possit, elicerit internam attritionem; hoc autem non sufficit sine confessione, quæ est altera pars essentialis, præterquam quod interior attritio non sufficiat, nisi per externa signa manifestetur: uti jam dictum est.

Dices cum Pellizatio, quem solum invenio ex PP. Societatis contrariam sententiam tenere ut probabilem, qui tomo 2. tract. 8. cap. 3. n. 116. dicit quod præterita vita transacta in observantia divinorum mandatorum, & frequentatione Sacramentorum, saltem semel in anno, sit tacita quædam petitio Sacramenti Pœnitentiæ pro articulo mortis, sicut illa sufficit pro Sacramento extremæ Unctionis per hoc, quod non habuerit actum Contritionis & quod testificatio & fama probitatis faciat interiorum dolorem, qui præsumitur adesse sufficienter sensibilis.

Resp. Quod tunc saltem absolvi non possent moribundus, nisi aliqui attestarentur de tali probitate, & quod Christianè vixerit, quod tamen qui hanc opinionem prædicant, non solent inquirere, sed passim absolunt etiam illos quos nunquam noverunt, & de quibus talia testimonia non habentur. Et dato quod ita esset, quis dicit talem censeri posse confiteri etiam de peccatis, quæ non

com-

commiserat, quando cognoscebatur sic vixisset? Ac proinde non video quomodo hæc sententia possit censi probabilis, ut illam Confessarius tutò sequi valeat. De Sacramento verò Extremæ Unctionis, imò & Baptismi longè alia est ratio, quia illa Sacramenta non constant actibus recipientium, tanquam partibus essentialibus, sicut Pœnitentiæ, cujus essentialis pars est Cōfessio quæ hic nullatenus invenitur.

Ad argumenta supraposita Resp. ad 1. Quòd ipse Cardinalis Lugo ubi sup. n. 34. dicat se Romæ diligenter inquisivisse etiam ab ipsis qui ibi fuerant tempore Clementis VIII. & ab omnibus judicatum fuisse fabulosum quod ibi refertur.

Nec 2. aliquid urget ex Memoriali Bononiensi, particularis enim Ecclesiæ instructio nihil convincit. Imò, ut etiam ibidem refert Lugo, in constitutione Ecclesiæ Compostellanae ita contrarium mandatum fuit, ut gravis pœna statuta fuerit illi qui auderet aliquem absolvere, qui non esset aliquod peccatum in particulari confessus, quia absolutio defectu materiæ valida non esset, sed sacrilega.

Ad 3. Satis patet ex dictis: quod interior actus attritionis non sufficiat, etiam cum præcedente vitâ Christianâ, quia illa non habet rationem confessionis essentialiter requisitam. Ex quibus omnibus patet temerariam esse absolutioem sic datam, cum contraria sententia careat omni fundamento probabilitatis.

TRAC-

## TRACTATUS X.

*De Indulgentiis.*

## ARTICULUS I.

*Qua Indulgentia specialiter data sint pro partibus missionis?*

**I**N primis in facultatibus dari solitis Regularibus conceditur facultas concedendi Indulgentiam plenariam primò conuersis ab hæresi.

2. Idem concedendi fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis si confiteri non poterunt.

3. Lucrandi sibi eandem Indulgentiam.

Item Paulus V in Bullâ editâ anno 1606. concessit omnibus Regularibus quotiescumque de licentiâ summi Pontificis & suorum superiorum in ditiones & terras infidelium aut Hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles & hæreticos ad fidem convertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, si pœnitentes & confessi, ac Sanctissimâ Communione refecti fuerint, vel Missam celeberraverint, ut melius ad huiusmodi opus se præparare valeant: pro duabus

duabus vicibus, videl. quando itineri se accinxerint, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem. Sic refert Verricelli de Apost. Mission. quæst. 98. §. 25. n. 144.

## ARTICULUS II.

*Vtrum Regulares in Missione habeant easdem Indulgentias, quas habent in partibus Catholicorum; Et easdem confraternitates.*

**R**ESP. Affirmativè, uti expressè declarat Urbanus VIII. in suâ Bullâ *Salvatoris* datâ pro Clero & Religiosis Missionariis in fœderatis Belgii Provinciis die v. May 1626. & confirmatâ ab Alexandro VII. in suis litteris per formam *Brevis Dudum* datis. 20. Septem. 1636. ubi sic habetur §. 17. *Quoad publicationem Indulgentiarum poterunt Regulares & Patres Societatis illas publicare, quas Ordines & Societas habet, & hætenus habuit, ubique terrarum, vel in partibus Germania, & Belgii in universum, edocto semel Vicario de facultatibus; neque Vicarius impediet vel interdicet.*

est. Et idem conceditur in eadem Bullâ circa confraternitates, §. 18. Quoad institutionem fraternitatum, & Sodalitatum, permittat Vicarius Regularibus & Patribus Societatis, illas quæ a Sede Apostolicâ approbate, & ab Ordinibus assignata sunt, ita tamen ut nemo astringatur & teneatur ad particulares Confessarios, vel ad Sacramenta ab illo Ordine solum percipienda.

Noluerunt enim illi summi Pontifices, Regulares qui ibi cum tanto labore & tot periculis operantur in vineâ Domini, nec fideles Catholicos facere deterioris conditionis, quam sunt fideles in partibus Catholicis, imo Ecclesia uti pia mater majorem solet compassionem habere cum illis suis filiis, tot persecutiones patientibus, ac proinde noluit eos illis spiritualibus consolationibus, quibus alibi gaudent, esse frustratos.



## TRACTATUS XI.

De extremâ Vnctione.

## ARTICULUS I.

Vtrum Extrema unctio licitè conferatur oleo antiquo alterius anni?



**M**ateria remota hujus Sacramenti est oleum ab Episcopo benedictum, prout declaratur in Conc. Trid. sess. 14. c. 1. de extremâ Vnctione. Debet autem esse olivatum, uti habetur in Conc. Florent sub Eugenio IV. Et declaratur ab Innoc. III. c. unic. de Extremâ Vnctione. Fundatur autem in Epist. Jacobi cap. 5. *ungentes eum oleo.*

Consuetudo autem Ecclesiæ est, ut quotannis sicut Chrisma. ita & oleum infirmorum renovetur, veteri combusto. Licet autem pro renovatione Chrismatis sint elari textus videl. c. *litteris* 18. de consec. dist. 3. Et c. *si quis de alio* de consec. dist. 4. nullus tamen est de renovatione S. Olei infirmorum, sed tantum praxis & consuetudo Ecclesiæ, contra quam agere citra necessitatem, grave peccatum esset, validè tamen veteri oleo con-

ferretur. Adhibere tamen debet Missionarius seu Parochus debitam diligentiam ut tempestivè novum procuret. Si autem ad eò remotus sit ab Episcopis ut commodè habere non possit, excusatur, donec habere possit: & interea sine scrupulo antiquo uti poterit. Ideo pro aliquibus locis Indiarum, ex dispensatione Summi Pontificis, uti possunt antiquo ad tres vel quatuor annos

In casu autem quo multi moriantur, & timet Missionarius sibi Oleum Sacrum defecturum, potest admiscere oleum non benedictum, quod illà mixtione censebitur esse etiam benedictum; quod fundamentum habet in cap. *Quod in dubiis* de consecr. Ecclesie, ubi dicitur: *Nec negamus quin oleum non consecratum, consecratio possit oleo commisceri.* Licet autem ibi agatur de oleo benedicto ad consecrandas Ecclesias, eadem ratio esse videtur de oleo infirmorum. Sic Lessius in 3. p. de Extrema Unct. dub. 5. ubi tamen notat quòd hoc debeat intelligi, modò id quod admiscetur sit in minori quantitate, quàm prius Oleum benedictum; aut saltem admixtio paulatim fiat, si enim in majori quantitate, aut confertim infunderetur, non censeretur esse idem quod prius, & sic neutrum esset benedictum. Eo ferè modo quo aqua benedicta augetur per admixtionem aquæ non benedictæ, quæ per talem mixtionem etiam fit benedicta.

ARTI-

## ARTICULUS II.

*Quanam verba sint de essentia formæ  
hujus Sacramenti.*

**F**orma Extremæ Unctionis prout præscribitur à Conc. Florent. est hæc: *Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum &c.* Non tamen omnia & singula verba sunt de essentia hujus Sacramenti. In primis, hæc particula *Sanctam* non habetur in Pastoralis Leonis X. c. 2. de Extr. Unct. Similiter non videtur ad essentiam pertinere & suam piissimam misericordiam, cum sufficienter hoc exprimat per particulam *Indulgeat*, loco cujus posset etiam substitui *condonet, ignoscat, remittat* eo quòd habeant æquivalentem significationem. Loco *peccasti* dici potest *deliquisti* sicut ponitur in Rituali Romano & Pastoralis Mechliniensis. Et loco *Dominus* potest dici *Deus*. Quod tantùm movemus ne si quis ex turbatione formam sic pronuntiaverit, inde inquietetur. Nihilominus semper servandus est ritus propriæ Ecclesie, & præcipuè Ritualis Romani; unde si quis aliter scienter formam proferret, graviter peccaret. Dices: Hoc Sacramentum uti & cætera instituta sunt immediatè à Christo Domi-

Domino ; ac proinde ab ipso determinata forma & materia ; sed non potest Ecclesia mutare formam à Christo Domino institutam , ergo non est licita tanta variatio. Resp. Sicut de aliis Sacramentorum formis dici debet , quod Christus Dominus instituerit formam quoad significationem suam , non autem quoad ipsa verba determinatè , alioquin non possent formæ in diverso idiomate proferri , dum ergo salvatur sensus & significatio æquivalens non censetur mutari forma à Christo instituta. Sicut etiam validè baptizaret quilibet loco *baptizo* , diceret *abluo* quia idem omnino significat. Et idem est de aliis formis.

## ARTICULUS III.

*Qualis infirmitas requiratur ut validè conferatur ?*

**S**upponimus tanquam indubitatum quod solis infirmis possit conferri , uti satis colligitur ex verbis Jacobi Apostoli cap. 5. *Infirmatur quis in vobis*. Unde nihil efficiet , qui hoc Sacramentum conferre velit homini sano , tametsi constituto in periculo mortis , v g. qui ducendus est ad extremum supplicium. aut conficiendus in prælio , aut in naufragio , aut si mulier sit vicina partui : licet enim tales sint in mortis

mortis periculo , quia tamen non infirmantur , non sunt capaces hujus Sacramenti. Et hæc est Communis sententia Doctorum , & sensus Ecclesiæ.

Uterius inquiritur , quanta debeat esse hæc infirmitas ? Quod dubium præcipuè locum habet in missione , in quibus locis aliquando erit occasio accipiendi hoc Sacramentum in levi infirmitate , quæ fortè non erit , si expectari debeat donec infirmitas ingravescat. Aliquando de hoc consultus fui , eò quòd aliquis Missionarius , passim hoc Sacramentum conferret antequam morbus periculosus esset ad mortem. Sed per notabilem abutum.

Sicut igitur requiritur infirmitas , ita etiam gravis infirmitas periculosa ad mortem. Quod patet ex Conc. Flor. ubi dicitur : *Hoc Sacramentum nisi infirmo de cujus morte timetur , dari non debet* Et ex Conc. Trid. sess. 14. c. 3. de Extr. Unct. *Declaratur etiam esse hanc Unctionem infirmis adhibendam , illis verò præferim , qui tam periculose decumbunt , ut in exitu vita constituti videantur. unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

Dices : contrarium videtur colligi ex verbis istis : *Illis præferim* &c. quod videtur idem esse quod *præcipuè*. Et inde sequitur quòd aliis infirmis conferri possit , licet præcipuè conferri debeat in exitu vitæ constitutis.

Resp. Quòd hæc particula *præferim* , non insinuat quod in qualibet infirmitate hoc possit

possit fieri, alioquin Ecclesia ita practicaret, cuius contrarium patet. Sed quodammodo distinguit inter infirmitatem periculosam, quam sufficienter expresserat Conc. Flor. Et aliam infirmitatem extremam, ita ut in exitu vite constituti videantur. Et tunc praesertim dandum est, & nullatenus negligendum. Et hæc est mens Concilii Tridentini, alioquin Concilio Florent. repugnaret, quod dici non potest.

Sic patet ad rationem dubitandi in Missionibus: nihil enim refert quod expectando forte non esset occasio Sacramentum hoc accipiendi; quia si aliter invalidè conferretur, illa ratio nihil facit ad casum nostrum. Si enim tunc dari non possit, infirmus (citra suam culpam tamen) hoc tam magno beneficio carebit.

Advigilent igitur bene, & sibi caveant Pastores & Missionarii, ne timentes suum incommodum procul eundi, aut horâ intempestivâ ut pauperes inungant; præveniant antequam infirmitas sit periculosa, & sic invalidè & sacrilegè hoc Sacramentum conferant.

Non est tamen expectandum donec infirmus privatus sit sensibus aut agonizet, sufficit enim quod morbus lethalis sit; & tunc præstat hoc Sacramentum accipere integro intellectu, pro majori fructu qui recipitur per actualem devotionem. Tum etiam pro secundo effectu qui est sanitas corporalis, quæ non nisi miraculosè expectari posset, in ipso transitu ex

hac

hac vita, sive in ipsa agonia. Potest proinde qui peste infectus est, aut qui venenum sumpsit, aut lethaliter vulneratus est (licet adhuc robustus sit) inungi, quia tales periculosè ad mortem infirmantur. Videatur S. Thomas in supp. q. 33. a. 2. ubi de hac quæstione expressè agit.

## ARTICULUS IV.

*Quibusnam danda sit Extrema unctio?*

**N**on est danda pueris ante usum rationis, nec amentibus qui nunquam usum rationis habuerunt: cum enim hoc Sacramentum habeat rationem spiritualis medicinæ contra reliquias peccatorum, incongruè daretur iis qui peccare non potuerunt. Non enim opus est sanis medicinâ. Amens verò qui aliquando habuit usum rationis & Christianè vixit, potest recipere. Pueri verò tunc demum capaces sunt quando ad usum rationis pervenerunt, ita ut capaces sint peccandi licet tantùm sint octo, novem, vel decem annorum. tamen si nunquam sumpserint S. Euchari-

S

ARTI-

## ARTICULUS V.

*Quanam partes corporis inungendæ sint ?*

**D**E necessitate Sacramenti unguuntur organa quinque sensuum, qui sunt quasi origines seu receptacula peccatorum: quia primum principium operationis humanæ, & consequenter etiam omnis peccati est vis cognoscitiva, omnis autem cognitio nostra à sensibus ortum habet. Et quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi adhiberi debet medicina, ideo inunguntur loca seu organa quinque sensuum; scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, & manus propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipuè viger. Aliquando etiam unguuntur pedes, & renes: Pedes quidem propter vim loco motivam, renes verò propter vim appetitivam. Sed hæc duæ unctiones non sunt de necessitate Sacramenti, ideo quidam hoc etiam observant, alii verò non, quia vis appetitiva, & motiva sunt tantum secundaria principia peccatorum, ut docet S. Thomas in 4. Et refertur in supplemento q. 32, a. 6. Qui ibi videatur circa totam hanc doctrinam.

Objicies. 1. Conc. Florent. enumerat inter reliquas unctiones, etiam renum & pedum,  
dum

dum dicit: *In pedibus unguendus est propter gressum. in renibus propter delectationem ibidem urgentem.* Cum igitur ibi Concil. indifferentem loquatur de pedibus & renibus, sicut de quinque sensibus: videtur sequi quod etiam istæ unctiones sint de essentiâ Sacramenti sicut aliæ. Tum etiam quia etiam vis motiva, & vis appetitiva sunt radices peccatorum.

Resp. Conc. Florent. enumerare omnes illas unctiones quæ fieri possunt, & ab aliis Ecclesiis observabantur, sicut & de facto in multis locis observantur. Non tamen præcipit ut omnes observentur, & multò minus decernit quod sint de essentiâ Sacramenti; si enim illa esset mens Concilii, nullus Auctor auderet aliter docere, sicut tamen passim ferè omnes docent. Nec Ecclesia permetteret usquam aliter fieri. Servandus tamen ubique ritus Ecclesiæ, in quâ hoc Sacramentum confertur, aliter faciens graviter peccaret.

Ad Confirm. Supra dictum est ex S. Thoma, quod licet etiam illæ vires sint principia peccatorum, quia tamen sunt tantum secundaria, & ad alios sensus réducuntur tanquam ad principia primatia, ideo non sunt æqualiter necessariae illarum unctiones.

Objicies 2. Aliquando inungendi aliquibus sensibus semper caruerunt, ac proinde per illos non potuerunt peccasse, v. g. cæcus à nativitate, & sic verificari non pos-

set forma; quia numquam sic cæcus delinquere potuit per visum. Tum etiam mutilari manibus, & naribus non possunt in illis organis inungi; igitur unctio organorum quinque sensuum non est de necessitate Sacramenti.

Ad utrumque Respondet S. Thomas ubi supra art. 7. *Mutilati etiam inungi debent quanto propinquius fieri potest ad partes, in quibus unctio fieri debuerat; quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, saltem in radice, & interius peccare possunt per ea quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.* Nec adeo urget id quod adfertur de cæco à Nativitate, quia fieri potest quod alius non carens visu per illum numquam deliquerit. Potuit autem cæcus natus peccasse per sensum internum, scilicet per imaginationem quatenus sensui externo respondet.

## ARTICULUS VI.

*An singulatim organa sensuum ungenta sint?*

**H**Æc quæstio duo involvit: 1. utrum quoad illos sensus qui duo habent organa sicut est visus, & auditus sufficiat alterum illorum inungere; Au vero utrumque un-

gendum

gendum sit. 2. Utrum unica unctio sub unâ formâ possit perfici, maximè tempore pestis.

Ad 1. Resp. In necessitate sufficere unctio- nem unius tantum organi videl. unius oculi, & auris, & similiter unius manûs. Quia illa organa non censentur esse duo, sed se habent per modum unius, & sic uniendo sufficienter verificatur forma. Sic cum aliis tenet Lessius 3. p. de hoc Sacr. cap. 4. dub. 2

Ad 2 Resp. etiam hoc sufficere; Quod expressè habetur in Synodo Mechliniensî celebratâ an. 1588. ubi sic dicitur: *In morbis contagiosis peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum, magis ad unctio- nem expositum, ac detectum, dicendo: Per istam S. Vnctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum &c.* Quam declarationem Synodi adducit P. Præpositus 3. c. de hoc. Sacr. dub. 9. & Sylvius dicit illam declarationem inferam esse Pastoralî Mechliniensî, approbato an. 1589. à Professoribus Facultatis S. Theologiæ Universitatis Lovaniensis, & quod Pastorale istud collectû fuerit ex selectioribus manualibus aliarum Diœcesum. Multa alia fundamenta circa hoc habet Sylvius in suppl. q. 32 art. 6. Quidquid tamen sit cum agatur de essentiâ Sacramenti, oportet sequi partem tutiorem, nisi fortè tempus id non permittat, tunc licet sequi probabilem sententiam, ut quan-

tum possibile est, animæ moribundi succurratur.

## ARTICULUS VII.

*Vtrum hoc Sacramentum iterari possit in eadem infirmitate?*

**Q**UOD iterari possit in diversis infirmitatibus est certum; Omnia enim Sacramenta quæ non imprimunt characterem possunt iterari. Ideo tantum inquiritur de iterabilitate durante eadem infirmitate. De quo ex proposito agit S. Thomas ubi supra in supplemento q. 33. a. 2. ubi in corpore sic discurrens. *Hoc Sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum, quia non debet dari nisi infirmis, qui secundum humanam estimationem videntur morti appropinquare. Quædam enim infirmitates non sunt diurnæ, unde si in eis datur hoc Sacramentum, tunc si homo ad statum illum perveniat quod sit in periculo mortis, non recedit à statu illo, nisi infirmitate curata; & ita non debet iterum inungi. Sed si recidivum patitur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero sunt ægritudines diurnæ, ut hæctica, hydrophis & huiusmodi: & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere,*

*cere ad periculum mortis: & si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam ægritudinem reducatur, iterum potest inungi; quia jam est alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter. Quæ sufficienter ad resolutionem propositæ difficultatis.*

## ARTICULUS VIII.

*De effectibus Extremæ Vnctionis.*

**S** Thomas in 4. Et prout refertur in supplemento q. 30. a. 1. & 2. agit de effectibus huius Sacramenti, & docet esse principaliter institutum ad sanandam infirmitatem peccati; sicut Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, & Pœnitentia quædam spiritualis suscitatio; ita & Extrema Unctio quædam spiritualis sanatio vel medicatio; ideo hoc Sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur; ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ.

Ex quo patet quid intelligatur per reliquias peccatorum, ad quas tollendas dicitur hoc Sacramentum conferri; sunt enim, ut ibi describit S. Thomas, quædam debilitas & ineptitudo

do quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali. Et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum.

2. Effectus est, per accidens remittere peccatum vel mortale vel veniale: cum enim præfatum robur fiat per gratiam, quæ secum non compatitur peccatum mortale, ideo ex consequenti tollit peccata, etiam mortalia, dummodo non ponatur obex parte recipientis; sicut etiam fit per Eucharistiam & Confirmationem, & alia Sacramenta vivorum. Ideo etiam Apost. Jacob. c. 5. de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: *si in peccatis sit, dimittentur ei*, scilicet quoad culpam.

3. Effectus, est corporalis sanatio. Quam ramentum non semper operatur, sed quando expedit ad spiritualem sanationem, quæ est finis & effectus primarius; non autem rectè inducitur secundarius effectus, nisi secundum quod expedit ad principalem, & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

Quos effectus, & alios in illis involutos recenlet Conc. Trid. sess. 14. c. 2. his verbis: *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei, res etenim hæc gratia est Spiritus S. cujus unctio delicta, si qua sint, adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam*

*magnam in eo divina misericordie fiduciam excitando; quæ infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus demonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum ubi saluti anima expeditur, consequitur.*

Quos effectus hic expressè volui proponere, ut eosdem Missionarii & alii Parochi populo interdum exponant, ut tanto ardentius & majori curâ hoc Sacramentum, dum opus fuerit, sibi aut aliis procurent.



## TRACTATUS XII.

*De Sacramento Ordinis.*

## ARTICULUS I.

*Vtrum solo titulo deputationis ad Missionem possit aliquis ordinari ab Episcopo Vicario Missionis?*



Asus iste mihi fuit propositus de aliquo studioso S. Theologiæ in quadam Universitate, qui zelo lucrandarum animarum petiit admitti ad Missionem à Vicario Apostolico, qui erat Episcopus, qui admisit eum ea conditione, ut statim ac ab ipso vocatus esset, se sisteret. Interea occurrit tempus ordinationis, & inquisitum fuit, an sufficienter eidem Vicario subiectus esset ut ab ipso ordinari posset, solo titulo talis admissionis antequam esset formaliter Missionarius, sed adhuc existens in suis studiis.

Pro solutione huius difficultatis, præsupponitur triplici titulo aliquem fieri subditum alicujus Episcopi ut ab ipso Sacramentum Ordinis accipiat. Ratione originis, domicilii, & bene-

beneficii; uti habetur c. nullus de temp. Ord. in 6.

Supponimus autem præfatum studiosum, (de quo agitur in casu) non esse subditum Vicario Apostolico missionis ratione originis, nec etiam ratione domicilii. Ergo sola difficultas est de titulo beneficii, utrum deputatio sola ad missionem habeat rationem tituli beneficii, ita ut ordinari poterit quasi titulo beneficii, ab Episcopo Vicario missionis in partibus confederatis.

Resp. affirmativè. Quia talis titulus deputationis ad missionem habet rationem collationis beneficii, non tantum simplicis, sed etiam pastoralis: cum Missionarii verè missi, habeant facultates Pastorales.

Confirmatur nostra resolutio à paritate: Is qui adscribitur militia, ipso facto definit esse subiectus Episcopo diocæsano, & subditur Vicario generali militiae, ita ut in ordine ad matrimonium ab ipso debeat habere dispensationem in proclamationibus & bannis, & coram ipso, vel alio sibi subiecto Parocho contrahere. Ergo videtur similiter loquendum de ascripto seu assumpto ad missionem, quod ordines suos accipere debeat ab Episcopo, qui ipsum deputavit ad missionem. Ita salvo meliori, quia casum illum non inveni usquam in eisdem circumstantiis propositum.

414 TRACTATUS XII.  
ARTICULUS II.

*Vtrum in Hyberniâ liceat accipere Ordines Sacros ab Episcopo non proprio?*

**H**unc casum adducit & resolvit Lessius in opere Posthumo v. *Ordines Sacri*. Casu 5. Supponimus autem Conc. Trid. sess. 6. c. 5. sic decernere de ordinatione: *nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prae-textu, Pontificalia in alterius diocesi exercere, nisi de ordinarii loci expressâ licentiâ, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinari ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi*. Et latius sess. 14. c. 2. ubi agit de Episcopis Ecclesiarum quæ in partibus infidelium consistunt Clero carentes & populo Christiano: *Ubi eandem poenam tam Episcopo Ordinanti sibi non subjectum, quam sic ordinato infligit*. Citat etiam Lessius Bullam Pii II. per quam dicit hanc suspensionem esse introductam, quæ tamen non est sexta ut ipse habet, sed septima, in qua poenam suspensionis imponit Clericis, qui sine dimissoriis, aut legitimâ licentiâ se faciunt ad Sacros Ordines promoveri. Miror autem quòd Lessius nullam faciat mentionem Conc. Tridentini.

Non obstante igitur dictâ bullâ Pii II. Respondet quæsito affirmativè. Et quòd sic ordinati non sint suspensi, nec contrahant irregularitatem usu Ordinum Sacrorum. Pro-

DE SACRAM ORDINIS. 415

Probat 1. Quia usus & consuetudo contraria, sciente & non contradicente Principe, tollit legem etiam Canonicam, ut passim Doctores: quod etiam dicit se ostendisse lib. 2. de iustitia cap. 6. dub. 14. nec ad hoc requiri præscriptionem, ut ibidem ostenderit.

2 Quando perpetuò vacat Sedes, nec est Vicariatus supplens vices Ordinarii, per se cessat illud jus, quia nullus est à quo licentiâ peti possit.

3 Dato etiâ quòd sit Ordinarius, qui tamen plerumque later, aut saltem hanc consuetudinẽ novit & non contradicit, censetur illam approbare, & virtualiter licentiâ concedere tam aliis Episcopis ut sibi subditos ordinent, quam ipsis ordinandis ut Sacros Ordines à quocumque alio Episcopo suscipiant. Quod fortius urget, quia Protector Hyberniæ, imo ipse Summus Pontifex optimè nôrunt quid fiat in illo regno ac proinde hoc ipso quod non contradicunt, eum faciliè possent, ratum habent & concedunt ita fieri, hoc enim est rati habitio de præsentibus, ut docent Doctores: nisi enim ratum haberent, graviter peccarent non monendo, aut impediendo, & curando ut aliter fiat, quia ad hoc ex officio obligantur.

Quæ resolutio non est improbanda, supposito quod adhuc illa consuetudo vigeat, nec interrupta sit.

Non potest tamẽ illa cõsuetudo trahi ad alia loca Missionis, ubi hoc hactenus nõ fuit in usu, alibi enim nihil convincunt rationes pro casu supposito adductæ.

## TRACTATUS XIII.

*De Matrimonio.*

## ARTICULUS I.

*Utrum decretum Conc. Trid. circa matrimonia clandestina obliget in locis Missionis?*



Uponimus hoc dubium moveri non posse pro Regnis, Provinciis, Civitatibus, imo etiam pagis seu Parochiis, ubi istud decretum non fuit publicatum, cum ipsum Conc. Trid. sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1. non aliter voluerit hoc decretum robur suum habere, nisi post 30. dies à sui publicatione in singulis parochiis, adeo ut nullatenus obliget in locis ubi publicatum numquam fuit.

In quibus Regnis, Provinciis aut civitatibus non fuerit publicatum exactè scire non potuimus: Nisi de regno Angliæ, Hybernæ & Scotiæ, hoc certum est, quia illa tria regna ab obedientia Sedis Apostolicæ defecerunt ab anno 1532. postquam Henricus VIII. Rex Angliæ legitimam conjugem suam Catharinam

tam injustè repudiavit, & simul cum toto suo regno à fide Catholica defecit. Conc. autem Trident. inchoatum fuit anno 1545. & sessio in qua hoc decretum statutum fuit, habita est an. 1563. ac proinde nunquam ibi permissum fuit publicari. De Polonia etiam passim teneur quòd ibi nunquam fuerit publicatum. Idem multi tenent de Francia, sed satis clarè ostendit Zypæus in novo jurè Pontificio lib. 4. n. 135. & ex ipso nostro Loth tract. 3. a. 7. istud decretum Parisiis in omnibus Ecclesiis, & per totam diocesim fuisse publicatum.

Præcipuè tamen agimus de Provinciis Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ & aliis confederatis, in quibus (licet aliqui dubitent) certissimè hujus decreti publicatio facta est anno. 1565. per Gubernatricem Belgii Margaritam Parmensem, ex mandato Regis Catholici Philippi II. antequam ab ipsius obedientia illæ Provincie deficerent. Imo mihi aliquando relatum fuit quòd adhuc à paucis vixerint, viri senes Ultrajecti, qui à suis parentibus certa signa illius publicationis ibidem factæ referrebant.

His ergo suppositis, quaeritur an in illis locis præfat. decretum de non contrahendo matrimonio coram proprio Parochio & duobus vel tribus testibus, ita obliget tam hæreticos quam Catholicos, ut aliter contracta irrita sint & invalida.

Pro parte negativa arguitur 1. Licet in illis partibus istud decretum fuerit suo tempore debitè publicatum, videtur tamen quòd per con-

trariam, consuetudinem longissimi temporis fuerit abrogatum, eò quòd Papa per spatium plusquam 70. annorum non contradixerit, & sic videatur tacitè dispensasse, seu indulgisse.

Quod confirmari potest: quia propter similem contrariam consuetudinem, in Gallia illis locis ubi hæretici liberè dominantur, non dubitatur à Catholicis de validitate matrimonii clandestinè contracti, nec ullus ex Missionariis negabit Sacramentalem absolutionè illis qui clandestinè contraxerunt, aut non aliter volunt contrahere, sicut mihi à fide dignis qui hoc habent ab ipsis Missionariis relatum est.

2. Illo modo quo in illis partibus contrahitur coram hæretico ministro, & testibus, satisfit intentione seu fini legis Tridentinæ, ne quis priore uxore cum qua clam contraxerat relicta, cum alia contrahat: cui malo sufficienter providetur, per hoc quod matrimonium publicè, aut coram Magistratu aut coram hæretico ministro & testibus contrahatur. Servato autem sine legis alicujus, videtur quòd ipsa lex sufficienter servetur, aut quod lex cesset obligare.

3. Decretum istud non obstante publicatione à multis & maximè hæreticis, ignoratur, ignorantia autem invincibilis legis humanæ excusat ab ipsius observantia, ergo in illis locis saltem non obligat habentes invincibilem ignorantiam.

Con.

Cõfirmatur 1. Ex verbis ipsius Decreti quæ satis clarè videntur requirere notitiam seu scientiam ipsius, ita enim habet textus: *Qui aliter quàm presente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt.* Nemo autem censetur *attentare* id quod saltem invincibiliter ignorat, quippe is tantum censetur aliquid contra legem attentare qui præsumit, & intendit facere contra legem, quod non habet locum in ignorante.

Confirm. 2. lex pœnalis non obligat invincibiliter ignorantes, sed hoc decretum involvit legem pœnalem: Ergo non obligat hæreticos qui illud invincibiliter ignorant.

Min. Prob. inhabilitas facta per legem est pœnalis, uti dicit Decius cap. 2. constit. 17. Hoc autem Decretum facit inhabiles ad aliter contrahendum.

4. Hæretici non habent proprium Parochum: Ergo decretum Concilii ad illorum Matrimonia non extenditur. Antecedens tenet Gamachæus in 2. p. tract. de Matrim. cap. 28; in fine prout ipsum citat Verricelli de Apost. Miss. tit. 12. q. 174. sect. 4. Quia inquit, hæreticus non habet ullam parochiam; hæretici enim moraliter loquendo non reputantur parochiani nostrarum Ecclesiarum, licet in earum confinio habitent, quia nullo modo coguntur ut ad illas accedant. Imo potius minister hæreticus censendus est ipsorum quasi

quasi parochus, quàm Pastor Catholicus; Et in Germania, præcipuè apud Lutheranos, heretici Ministri Pastores appellantur. Licet autè non sint legitimi Pastores, quia tamen pro talibus à populo habentur, putatur satisfieri, si coram ipsis contrahatur. Pro quâ sententiâ ab aliquibus citatur Layman lib. 5. tract. 10. p. 2. c. 4. n. 7. Sed nihil simile ibi invenio. Uti nec in Dicastillo de Sacr. Matrim. tract. 10. disp. 3. dub. 10.

Tenendum tamen est decretum Concil. Trid. circa Matrimonia clandestina obligare in locis missionis, dummodo ibi promulgatum fuerit; licet postea ab Ecclesia defecerint.

Pro cuius clariori resolutione primò videntur sunt verba illius decreti sess. 24. de reform. Matr. c. 1. *Qui aliter quàm presente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu ordinarii licentiâ, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddat; & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit &c.*

Et cum circa hoc decretum an. 1603. consuleretur Congreg. Cardin. Interpretù Concil. Trid. ab Illustr. Episcopo Tricaricensi Nuncio Apostolico per Superiorem & inferiorem Germaniam sive Belgium, ad instantiam Archiepiscopi Philippensis D. Sasboldi Vicarii Apostolici Missionis confederatarum Provinciarum, responsum fuit per sequentes declarationes:

*Congregatio Concilii perpenfis consultationibus Episcopi Tricaricensis, circa formulam matrimoniorum quæ in partibus Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ contrahuntur, ita censuit: Primò ubi decretum ejusdè Concil. c. 1. sess. 24. de Reform. ma. rimonii non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observatione formæ à Concilio præscriptæ. 2. Publicationem præsumi, ubi id decretum fuerit aliquo tempore, in Parochia tanquam decretum Concilii observatum. 3. Hæreticos quoq; ubi decretum dicti cap. 1. est publicatum, teneri talem formam observare, & propterea ipsorum etiã matrimonia absque forma concilii, quamvis coram ministro heretico, vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse. Alia duo reservo pro resolutione articuli sequentis. Ex quibus patet, saltè ex tertio puncto declaratio nostræ resolutionis, Superest ergo solvere argumenta supra objecta.*

Resp. ad 1. falsum esse per consuetudinè longissimi temporis decretum istud fuisse abrogatum, hoc enim debuisset fuisse factum ex tacito consensu legislatoris, aut superioris ad legem, qui est solus Papa; cujus contrarium patet ex declarationibus supra positis. Cõgreg. Cardin. qui in hoc vices gerunt Pontificis. Quod autè Pontifices non crebrius aut acius cõtradixerint, fuit, quæ talis contradictio nõ profuisset apud hereticos. Apud Catholicos autem satis sepe intimata fuit hæc obligatio, ita ut non soleant contrahere coram ministro aut Magistratu, nisi prius con-

contraxerint coram Catholico Sacerdote qui pastoralia potest administrare. Imo ipsum Concil. sufficienter excludit evasionem illam dissuetudinis, dum expressè prohibet ne à Parocho non proprio detur benedictio matrimonialis. *Quæcumque, inquit, consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, non obstante*

Ad confirm. Gratis admittitur quod assumitur; credendum tamen est, vel quod Pontifex in hoc pro illis partibus dispensaverit; vel quod fortè in illis parochiis præfatum decretum non fuerit sufficienter publicatum.

Ad 2. resp. finem seu intentionem Ecclesiæ non tantum esse ut publicè constet sibi de Matrimonio legitimè contracto, sed ut sibi per suum ministrum de hoc constet. Tum etiam quia Parochus non adhibetur merè tantquam testis, alioquin præter illum non requirerentur alii testes, sed quia matrimonium Sacramentum est, voluit ipsi assistere spiritualem ministrum solemnitatis, quem vult esse proprium Parochum. Alioquin etiam in partibus Catholicis non esset necessaria præsentia proprii Parochi, dummodo contraheretur coram duobus vel tribus testibus, sic enim etiam ibi intentioni Ecclesiæ esset satisfactum.

Ad 3. Licet ignorantia invincibilis excusare possit à peccato, non tamen inhabiles ad contrahendum potest habiles facere, sicut ignorantia consanguinitatis, aut alterius cuiusque

cumque impedimenti dirimentis, nihil prodest sic contrahentibus ad valorem matrimonii, sed tantum excusare potest, ne sic contrahendo peccent.

Ad 1. confirm. Resp. dictionem istam *attendere* non accipi ibi in toto suo rigore, sed solum prout idem est quod *intendere*, ut sit sensus qui aliter quàm præsentè Parocho & testibus contrahere intenderint, S Synodus eos ad sic contrahendum inhabiles reddit, non enim est pœna ut statim dicetur.

Ad 2. Confirm. negatur hoc decretum involvere legem pœnalem, sed tantum directivam, præscribendo formam in contractu matrimoniali servandam, nec semper inhabilitas secundum jus commune est pœna, uti patet in minorennibus seu impuberibus qui ad condendum testamentum, & facienda vota realia sunt inhabiles, sicut & pueri ante decimum sextum ætatis annum inhabiles sunt ad professionem solemnem, quæ tamen inhabilitas non est ipsis pœna.

Ad 4. Resp. sine fundamento dici hæreticum nullam habere Parochiam, nec proprium Parochum; nam ratione Baptismi subjectus est jurisdictioni Ecclesiæ, à qua non potest propriam contumaciã se eximere, & consequenter subjectus est capiti Ecclesiæ Summo Pontifici & cæteris superioribus ipsi subordinatis, videlicet Episcopo suo, & proprio Parocho. Nec quidquam urget ratio Gamachæi; non enim

enim fit, aut est aliquis Parochianus alicujus Parochiæ per hoc quod aliquando ad suam Parochiam accedat, sed per hoc quod habitet in districtu alicujus Parochiæ. Alioqui etiam tepidi Catholici vix unquam frequentantes suam Parochiam, per hoc eximerentur ab illa, quod nemo dixerit. Nec etiam refert quod in illis partibus hæretici non cogantur agnoscere suum Parochum, quia hoc impeditur per aliud regimen, scilicet hæreticum. Magis adhuc à vero alienum est, dicere quod ministri hæretici censentur esse Pastores, licet à suis pro talibus habeantur, Concil. enim Trid. sicut tales Pastores non agnoscebat, ita ipsius decretum non potest de talibus intelligi.

Præterquam quod clarissimè hoc excludatur in tertia declaratione supraposita facta à Cong. Cardin. dum dicitur: *Hæreticos quoque teneri talem formam observare, & propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.*

## ARTICULUS II.

*Utrum ab illo decreto contra matrimonia clandestina, nulla sit exceptio in missione?*

**C**ongregatio Cardinalium præter tres illas declarationes præcedenti articulo relatas, alias

alias duas habet ad præsens propositum facientes. 1. Est: *Vbi etiam constat decretum Concilii esse publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tanquam decretum Concilii observatum, sed Parochialis Ecclesia utpote vacans proprio Parocho careat, & Cathedralis in idem Episcopo, atque Capitulo, habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat, matrimonium valere, absque presentia Parochi, servatâ tamen in eo in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus.*

Igitur ex his sequitur quod si nullus sit Parochus, nec qui vices ejus suppleat, valebit matrimonium contractum coram duobus saltem testibus.

2. Exceptio est ibidem: *Si extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubinam sit, vel eodem metu à Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus; validum est matrimonium contractum absque formâ, scilicet positâ in illo decreto, adhibitis tamen ut dictum est, duobus testibus.* Has declarationes seu resolutiones refert Zypæus in jure Pontificio lib. 4. n. 16.

Eandem declarationem tribus ferè annis antea videl. anno 1600. die 30. Decemb. scripserat Bellarminus præfato Domino Octavio Tricaricensi Nuncio Apostolico ex ore  
Cle.

Clementis VIII. his verbis: *De matrimoniis contractis, ubi nulli jam sunt proprii Pastores, jam olim actum fuit cum S. D. nostro, & cum congregatione Conc. Trid. ac sententia Communis Concilii, cum in ejusmodi locis servari non possit. Non video ergo cur ea Matrimonia, non debeant tolerari, cum satis constet Concilii decretum, quod jubet matrimonium fieri coram Parocho, non se extendere ad ea loca ubi nulli sunt Parochi. Et conformiter ad illa scripsit præfatus D. Nuncius Archiepiscopo Mechliniensi 13. Februarii 1602. Et hic Episcopo Iptensi, uti refert Sylvius in supplem. q. 45. a. 5. q. 4. Ex quibus in primis patet quanta olim adhibita sit diligentia pro resolutione propositæ difficultatis.*

Sed ulterius jam inquit potest de quâ absentia Parochi agatur in illis resolutionibus; an de physica tantum, an verò etiam de morali? Exempli causâ: dato quod alibi in Hollandiâ præfens sit Parochus, imò & Episcopus: non tamen audent comparere, seu assistere matrimonio ex gravi metu mortis, exilii, aut notabilis multæ; an præfatæ declarationes intelligendæ sint etiam de illâ morali absentia?

Hoc dubium olim proposuerat Reverend. D. Miræus Episcopus Antverpiensis eximio Dom. Elio Doctore ac Cancellario Duacensi an. 1607. ut testatur Sylvius etiâ Doctor Duacensis, ubi supra. Et Respondit, probabiliter

biliter dici posse in tali casu idem esse ac si Parochus non esset præfens, aut saltem non esset tutus ad ipsum accessus, sicut non potest dici tuta via in quâ passim homines occiduntur aut denudantur.

Ex his varii casus in Missionibus occurrentes circa valorem Matrimonii possunt resolvi.

1. Casus est: contraxit hæreticus cum hæreticâ coram Magistratu, vel coram ministro hæretico & testibus: uxor convertitur ad fidem Catholicam, & est anxia de suo Matrimonio prius inito sine præsentia Parochi: consulitur ipsi ut coram Sacerdote matrimonium renovet, maritus hoc recusat facere, comminando quod Sacerdotem tradet Prætori si compareat.

2. Casus est. Hæreticus cum Catholica, aut etiam Catholicus cum Catholica inierunt sponsalia sive secretò per mutuam promissionem scripto datam, sive publicè coram Magistratu, aut coram testibus, ita ut juridicè constare possit. Alteruter sine legitimâ causâ resiliat; alter sive altera resilientem cogit in iudicio, ad complendum promissum, nec contrahere vult coram Sacerdote, cui indubiè imminet periculum grave si compareat. Et idem est si aliquis virginem aliquam defloraverit, aut cum promissione matrimonii cognoverit: instat autè deflorata aut amici ejus ut ipsam ducat: & idem periculū imminet si ipsa nolit corâ Sacerdote habente facultatem assistendi, contrahere.

Respondetur quod in his duobus & simili-  
bus casibus, & quotiescumq; non potest tutus  
esse accessus ad Parochum, aut Sacerdotem  
habentem facultatem ut assistat, validè contra-  
hatur coram Magistratu, aut ministro hære-  
tico, aut etiam coram duobus saltem testibus,  
quia expressè declaratur, ubi supra, in Excep-  
tione 2. quod validum sit matrimonium absque  
illâ formâ Concilii, quando non est tutus  
accessus ad Episcopum aut Parochum.

3. Casus potest esse, quando non est tutus  
accessus ad Parochum, non quia ipsi non  
est tutum comparere, sed quia non est tutum  
sponsæ, vel sponso qui cogitur contrahere,  
Sacerdotem seu Parochum querere ut contra-  
hant in ipsius præsentia. Vel si prius malè aliter  
contraxerint, contractum renovare coram ipso  
alteruter recusat & interim cogantur per ju-  
sticiam sub penâ carceris convivere.

In hoc casu puto idem dicendum esse, quia  
etiam in illo casu non est tutus accessus ad Pa-  
rochum, non enim distinguit Congregatio  
de accessu tuto, sive enim hoc sit ex parte  
parochi, qui non potest tuto comparere, ut  
assistat: sive ex parte contrahentium, aut alte-  
rutrius ipsorum, verum est quòd non sit tutus  
accessus. Ac proinde cum declaret quòd hoc  
sufficiat ut matrimonium clandestinè, scilicet  
sine præsentia Parochi contractum sit vali-  
dum, videtur hoc etiam locum habere in hoc  
tertio casu.

Accedit

Accedit id quòd Cyprianus Croufers Ca-  
pucinus ad cap. 7. Regulæ S. Francisci pag.  
787. refert, quod Gregor. XIII. die 24. Au-  
gusti 1576. concesserit PP. Societatis in par-  
tibus Ultramontanis, ut in iis locis & Pa-  
rochiis ubi Concl. Tridentini Decretum de  
irritandis Matrimoniis clandestinis promulga-  
tum est, & ab aliquibus non servatum, qui in-  
duci non possunt, ut iterum servatâ formâ  
Concilii contrahant, possint ab eorum Confes-  
sariis absolvi, & ipsi Confessarii possint cum  
talibus dispensare in foro conscientie, ut rursus  
secretò inter se contrahant, non servatâ Con-  
cilii formâ, & postquam sic contraxerint, pro-  
les ita susceptæ ipso facto legitimæ cen-  
seantur. Et dicit hoc privilegium haberi in  
Appendice ad Litt. Apostolicas pro Socie-  
tate Jesu. Sed hoc privilegium in nullo alio  
Auctore potui reperire Imo nec in litteris  
Apostolicis pro Societate quas videre potui.  
Si autem tale sit, idem licebit aliis Regulari-  
bus cum ipsis communicantibus.

### ARTICULUS III.

*Vtrum exceptio à decreto illo Concilii per  
Episcopum extendi possit ad  
alios casus?*

**I**Nter alios casus, duo solent proponi de  
quibus hæc difficultas movetur.

T 2

1. Est

1. Est quem proponit P. Amicus disp. 7. de matrim. sect. 13. n. 136. Si Princeps aliquis habens ex concubina filium, sit proximus morti, & si absque legitimo filio moriatur, totus ejus Principatus cum summa fidei Catholice jacturâ, devolvendus est ad perversissimum hæredem hæreticum; nec ad manum sit proprius Parochus, aut vices ejus gerens: an non valeret tunc contractus matrimonialis coram solis testibus, ut sic legitimeret filius Catholicus, qui fidem Catholicam in illo principatu manu teneat.

2. Casus est: Quidam in mortis articulo adeo est affexus libidinoso affectui suæ concubinæ, ut ab illâ se humano modo non possit abstrahere, & sic moraliter loquendo certo moriturus est in peccato mortali; si tamen in illâ occasione cum ipsâ contraheret, affectus iste ad summum esset venialis. Quæritur igitur utrum per Epicheiam non possit judicari ad illum casum se non extendere decretum Concilii?

Pro sententiâ affirmativâ citari solet noster Sorô 4. dist. 28. q. 1. a. 2. Qui alios etiam similes casus adducit. Sed tunc nondum prodierat hoc decretum Concilii, uti colligitur ex ipsius verbis ibidem art. 1. §. *sed omnium* ubi dicit, quod licet sæpè sermo esset inter Patres Concilii de hâc materiâ, nondum tamen ad reformationem matrimonii processerant. Ex antiquis etiam citantur Iacobus à Grassis lib. 2.

lib. 2. decif. cap. 85. Et Vega, & Veracruz. Et ex modernis Amicus ubi sup. & Sylvius, qui tamen nihil habet nisi secundum nostram resolutionem præcedentis articuli.

Probat autem Amicus hanc suam sententiam, ex resolutione casuum præcedentis articuli; ex quibus sic infert: quis negabit hunc casum majoris fore momenti, quàm non posse ad Parochum tutum habere accessum, cum inde dependeat tantum bonum commune fidei?

2. Omnis lex etiam divina admittit Epicheiam, ergo multò magis hoc decretum quod est legis humanæ. Ant. prob. licet secundum legem divinam nemo sine Baptismo salvari possit, tamen deficiente copiâ ministri aut aquæ, sufficit Baptismus flaminis seu voti in adultis.

Confirm. Omnes aliæ leges Ecclesiasticæ v. g. audiendi Missam diebus festis, communicandi circa Pascha, Jejunii, &c. admittunt Epicheiam in casibus necessitatis: ergo & hoc decretum.

3. Quia Conc. Trid. ea matrimonia irritat, quæ olim in Ecclesia clandestinè celebrata à Sacris Conciliis, præsertim Lateranensis, ut illicita improbabantur, sed nunquam ab ullo Concilio matrimonia clandestina ex tanta necessitate facta, damnata fuerunt, ergo neque nunc censenda sunt irrita per decretum Conc. Tridentini.

4. Quando non est tutus accessus ad Pa-

rochum, valet matrimonium clandestinum in partibus hæreticorum sine Parocho, uti jam dictum est. Ergo similiter quando articulus mortis non sinit expectare Parochum.

Confirm. In illo casu, præsumitur licentia Parochi ut alius Sacerdos assistat. Ergo sine præsentia Parochi in illo casu validum erit matrimonium, per assistentiam testium & aliter Sacerdotis. Et in defectu Sacerdotis præsumetur tacita dispensatio Summi Pontificis: qui indubiè si in simili necessitate posset adiri, dispensaret.

Respondetur nihilominus negativè cum Navarro, conf. 6. de clandest. despons. l. 4. Henriquez lib. 1. c. 3. n. 5. Sanchez de Matrim. l. 3. n. 17. Pontio lib. 5. c. 6. n. 3. Ledesma de matrim. q. 45. a. 5. & aliis quos refert, & sequitur Verricellit. l. 5. q. 248.

Prob. 1. Lex quæ contractibus formam substantialem præscribit, non admittit Epicheiam; quæ judicetur formam illam posse omitti, sed decretum Concil. Trid. de quo agitur, præscribit formam matrimonio, ergo non admittit Epicheiam. Maj. patet, quia nulla res subsistere potest sine forma sua, ergo quando forma illa non inest contractui, nihil ad valorem conducere potest Epicheia, Maj. autem Prob. Ecclesia illo suo decreto irritat omnem contractum matrimoniale cui non adest forma quam præscribit, videlicet præsentia Parochi & testium.

Con-

Confirm. Nemo dicet quod in illis casibus necessitatis validè contraheretur, sine dispensatione in aliis impedimentis, videlicet consanguinitatis, criminis, &c. ergo neque validè contraheretur in propositis casibus non observatâ formâ decreti Concilii.

Prob. 2. fundamento Navarri, si in illis necessitatibus per Epicheiam censeretur dispensatum, per eandem Epicheiam trahi hoc posset ad alias similes necessitates, unde paulatim sequi possent eadem & fortè majora inconvenientia quàm quæ ante hoc decretum per clandestina matrimonia sequebantur. Quod pro bono communi vitari debet, licet cum tam magno incommodo particularium personarum.

Ad 1. Arg. Amici Resp. Casus illos de quibus quæstio, esse majoris quidem momenti pro personis particularibus, non tamen pro bono communi; Ecclesia autem voluit & de facto providit necessitati boni communis pro omnibus locis, non autem pro omnibus & singulis personis quæ per accidens esse possunt in majori necessitate. Alioquin quisque facilè judicaret necessitatem suam esse maximam.

Ad 2. Resp. Ant. verum esse, quando lex non præscribit formam, aut disponit de solemnitate essentialiter requisitâ, aut materiam inhabilitat. Exemplum allatum fuit supra in aliis impedimentis dirimentibus. Dispunitas autem magna est in Baptismo, quia

T 4

enim

enim est Sacramentum maximæ necessitatis debuit esse remedium quod omnibus etiam adultis prodesse potest. Nec hoc fit per Epicheiam, quod sufficiat Baptismus flaminis vel sanguinis, quando in aqua haberi non potest; sed quia hoc ita à Christo Domino institutum est.

Ad Confirm. patet ex dictis in quibus legibus locum habeat Epicheia, & in quibus non, videlicet quæ præscribunt formam essentialiter requisitam, vel aliis terminis: Epicheia locum habet in legibus merè præceptivis, seu prohibitiivis, non autem in irritantibus seu inhabilitantibus.

Et ne dicatur quod etiam aliquando ignorantia invincibilis, excuset in lege irritante: Norandum est duplex esse genus legis irritantis, unum illius quæ absolute & simpliciter irritat, quando ob bonum, quod est in eo quod actus sub talibus circumstantiis non valeat, nõ solum prohibetur, sed annullatur, v. g. in favorem & commodum sive communitatis, sive membrorum ejus, & solet fieri statuendo actum non valere, absque tali vel tali solemnitate. Aliud verò est genus legis irritantis propriè in pœnam inductam, & primariò intentam in odium culpæ, ut qui sic peccat, puniatur nullitate actus. In irritatione quæ fit per legem primi generis, ignorantia quidem excusat à culpa, non autem ab irritatione. In illa quæ fit per legem secundi generis, etiam excusat ab irrita-

irritatione, cum ipsa verè habeat rationem pœnæ, Secustamen dicendum esset si utrumque genus simul concurrat, scilicet si lex feratur non tantum in odium culpæ, sed etiam in favorem boni communis, tunc enim manet actus irritus seu invalidus.

Ad 3. Resp. Decretum Concilii esse universale, & ita quodcumque matrimonium comprehendit, quia uti dictum est, lex irritans non admittit limitationem per Epicheiam, sicut admittit lex tantum prohibens & improbens, qualis erat lex Concilii Lateranensis.

Ad 4. Resp. Primum declaratum esse à Congreg. Cardinalium, non verò hoc secundum. Et disparitas est, quia primum est quid commune, videlicet, quotiescumque non est Parochus, vel non est tutus accessus ad ipsum. Aliud autem est quid particulare, uti patet ex casibus de quibus agitur.

Ad Confirm. Resp. Quando actus sine licentia aut dispensatione est irritus, nihil operatur præsumptio licentiæ, sed ad minus requiritur tacita licentia v. g. quia videt & tacet, cum facile posset impedire aut prohibere. Quod magis potest roborari quod dicat Concilium quod ad taliter contrahendum *omnino inhabiles reddit* quæ verba significare videntur pro omni eventu.

## ARTICULUS IV.

*Verum valida sint matrimonia Catholicorum cum hæreticis?*

**C**ertum est quòd in talibus matrimoniis non interveniat impedimentum disparis cultus, quòd tantum locum habet in baptizatis cum non baptizatis. Inquirendum ergo est an aliquando prohibitio aliqua sit obstandans validitati matrimonii, quidquid sit utrum licitè contrahatur? de quo infra.

Quòd talia matrimonia non sint valida, Arg. 1. Quia eadem rationes quæ militat contra matrimonium Catholicorum cum infidelibus, seu non Baptizatis, militat etiam quando fit cum hæreticis; præcipuè ob periculum perversionis & conjugis, & prolium; ergo eodem modo talia matrimonia censeri debent invalida.

2. In sextâ Synodo Generali can. 72. expressè decernitur: *Non licere Orthodoxum cum hæreticâ conjungi, nec Orthodoxam cum hæretico, sed & si quid ejusmodi factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium aonjugium dissolvi.*

In aliis etiam pluribus Conciliis tale matrimonium interdicitur.

Affir.

Affirmativa tamen sententia est omninò certa, videl. quòd talia matrimonia sint valida.

Pr. 1. Quia nullum est decretum Ecclesiæ talia matrimonia irritans aut annullans, ut ad 2. patebit.

2. In cap. *Decrevit*, de hæreticis in 6. Innocentius IV. decernit quòd propter hæresim maritorum, dotes uxorum Catholicarum non debeant confiscari, nisi fortè mulieres ante scivissent illos esse hæreticos. Si autem non fuissent valida, non tantum dotes confiscari, sed separari ab invicem deberent.

3. Ex continua praxi Ecclesiæ quæ talia matrimonia habet ut valida. licet non approbet ut licita.

Ad 1. fundamentum oppositum Resp. ex S. Th. in 4. dist. 39. q. 1. ad 8. *Matrimonium Sacramentum est, & ideo quantum pertinet ad necessitatem Sacramenti requirit paritatem, quantum ad Sacramentum fidei scilicet Baptismum, magis quàm quantum ad interiorem fidem, unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitas fidei, sed disparitas cultus, qui respicit exterius servitium, &c.*

Unde apparet magna disparitas: periculum autem perversionis & malæ educationis proli, arguit quidem quòd sit illicitum nisi illi malo provideatur, non verò quòd sit invalidum. Præterquam quòd infideles non Baptizati sint obstinatioris in suo errore.

Ad 2. Resp. Canones istius Conc. non ad-

T 6

mitti

mitti ab Ecclesiâ, ut ostendit Baron. anno 692. unde olim Synodus illa erratica dicebatur. Quia Canones illi sunt editi apud Trullum in palatio regio ab Episcopis quibusdam illegitimè congregatis. Ideo etiam à Sergio Papa istud Conciliabulum condemnatum fuit, & omnes Canones rejecti. Videatur Baronius & Spondanus ad illum annum.

Dato tamen Canones illius Synodi postea esse receptos, ut quidam videntur tenere, & latè deducit Pontius ubi sup. in Append. (quod non est hujus loci indagare) Responderi equidem potest, quod dato quod aliquando talia matrimonia fuerint irrita, hoc tamen postea vel contrariâ consuetudine, vel contrariis legibus fuit mutatum. De quo videri potest noster Loth tract. 13. a. 1. Nec in hac re amplius dubitari potest.

## ARTICULUS V.

*Utrum licita sint Matrimonia Catholicorum cum hæreticis?*

Quam certum est quod talia matrimonia sint valida, tam certum est quod sint illicita, & mortaliter peccent qui sic contrahunt. De hoc latè & efficaciter agit Franciscus Dufeldorpius in tractatu quem scripsit de matrimonio

monio non ineundo, cum his qui sunt extra Ecclesiam: probans hoc per diversa capita, in primis ex Conc. Agathensi Can. 67. Et refertur c. *non oportet* 28. q. 1. ubi dicit: *non oportet cum hominibus hæreticis miscere conubia, vel & filios & filias dare, sed potius accipere; si tamen se profiteantur Christianos esse futuros, & Catholicos.* Alia quæ passim citari solent omitto.

2. Propter periculum subversionis, quæ fuit ratio ob quam olim adeo severè prohibitum fuerat, matrimonia inire cum Infidelibus. Exod. 34. v. 16. & Deut 7. v. 3. Et præcipuè hoc ostendi potest exemplo Salomonis 3. Reg. 11. Qui per hoc quod adamavit mulieres alienigenas; inductus fuit ad Idolatriam & *averterunt mulieres cor ejus.* Si hoc factum sit Salomoni sapientissimo, quis sibi fidet ex conjugio cum hæretico vel hæreticâ, unde videtur majus imminere periculum, eo quod in multis conveniant, & sic facilius sit seductio.

Judico planè hoc unum ex præcipuis mediis fuisse, quibus diabolus usus fuit ad invendendam & stabilendam hæresim per utramque Germaniam, & alia loca hæreticis jam subiecta; Et adhuc quotidie hoc experimur, quomodo primò alliciuntur Catholici à pulchritudine; aut divitiis hæreticarum mulierum, quas ut facilius assequantur, ipsarum illecebris, aut ante aut post conjugium ad falsam religionem alliciuntur.

Pulchrè ad hoc propositum facit Sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 9. *Cum Sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris. si hoc in aliis, quantum magis in conjugio, ubi una caro, & unus spiritus est?* Et paulò infra: *Ratio docet, sed etiam amplius exempla movent; sapè illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere.* Multa de hoc exempla habemus in Ecclesiasticis historiis. Justinianus Imperator antea religiosissimus, instigante conjuge Theodorâ in turpissimam hæresim incidit, & factus est magnus Ecclesiæ persecutor. Talia exempla plurima sunt hoc nostro tēpore.

3. Talia matrimonia sunt illicita propter evidens periculum subversionis prolium, quæ regulariter sequuntur mores parentis inclinationis ad libertatem, sive pater sit, sive mater. Quanta autem obligatio incumbat parentibus rectè liberos educandi, satis ratio dicat & rationalis natura, unde August. in Pl. 127. *Magis cogita quomodo nutrias qui nati sunt, quam ut nascantur; non enim felicitas est habere filios, sed bonos habere.* Et quomodo poterit mater catholica proles in fide suâ nutritre, si pater sit hæreticus, qui paternâ auctoritate statim ut ad ætatem doli capacem pervenerint, apud magistros hæreticos collocabit erudiendos, & volente, nolente matre eam ad hæretica templa conducet? Et e contra si pater sit catholicus, mater verò hæretica, hæc tantum valebit maternis suis blanditiis, ut pro-

les

les quasi cum lacte venenum hæreseos hauriant, & in illo nutriantur. Quantum debet esse luctus parentis catholici vel catholicæ, videre ante lectum suum dum morti appropinquat, proles suas superstites sub cura hæretici vel hæreticæ malè imbuendas, & sic in æternum perituras. Uti non à longo jam tempore mihi relatum est, quod cum mater catholica nupta hæretico morti proxima esset hoc unum pro ultimo vale, rogavit maritum suum cum lachrymis, ut teneræ proles suæ quibus jam indere inceperat fidem Catholicam, sineret in eadem educari, cui à marito (licet tenerrimè uxorem diligente) responsum fuit, quod hoc ipsi promittere non posset, propter officium suum publicum quod obibat.

Tandem quo affectu quotidie aspiciet, & amplectetur uxo: maritum suum hæreticum, quem scit in æternum damnandum nisi convertatur? Et hoc maximè in mortis articulo si præmoriatur conjux hæreticus, certo prævidet mæsta uxor Catholica separationem non tantum temporalem (quæ brevis est) sed æternam, ita ut dilectissimum conjugem æterno divorcio in perpetuum, & hoc intolerabilibus gehennæ suppliciiis statim videat condemnandum?

Multæ aliæ rationes sunt, quæ sufficienter persuadent talia matrimonia planè esse illicita regulariter loquendo.

ARTI-

## ARTICULUS VI.

*Utrum matrimonia Catholicorum cum  
hæreticis in nullis circumstantiis  
sint licita ?*

**T** Ametsi sufficienter ostensum sit talia matrimonia secundum se esse illicita, tales tamen circumstantiæ esse possunt, quæ illa faciant licita, & hoc præcipuè in illis locis ubi Catholici habitant inter hæreticos, & inter se conversantur, uti fit in Missionibus concessatarum Provinciarum. Caveri tamen debent mala propter quæ illa diximus esse illicita.

In Concil. Agathensi expressè permittitur, ut parentes respondeant filios aut filias suas hæreticis sponsis, *si tamen se profiteantur Christianos esse futuros & Catholicos.* Similiter loquitur Conc. Laodicense, & refertur *canon oportet 28. q. 1.*

Ratio autem est, quia tunc cessant rationes ob quas redderentur talia matrimonia illicita.

In primis autem supponimus quod hæretici cum quibus contrahendum esset, non sint nominatim denunciati. Præterea quod observentur sequentes conditiones: 1. Ut bene caveatur periculum perversionis, ita ut Catholico permittatur liberè vivere juxta suam religionem.

2. Ut

2. Ut permittatur, ut proles possint in fide Catholica enutrir. 3. Ut absit scandalum, videl. ut in illis locis id fiat ubi viget consuetudo passim sic contrahendi. 4. Ut sit aliqua urgens causa potius cum hæretico, quàm Catholico matrimonium ineundi.

Sic etiam resolvit Lessius in lib. Posth. tit. hæret. cum cathol. convers. casu 23. & passim alii Auctores. Sic enim caventur causæ propter quas talia matrimonia non sunt licita.

Non tamen faciliè credendum est quod periculum perversionis absit, quantumcumque promittatur libertas vivendi secundum religionem Catholicam, & proles in illa educandi. Idè bene sunt examinandæ circumstantiæ, præcipuè conditio contrahentium, an persona hæretica cum qua contrahitur sit valde contumax & perversa in suo errore, & aversa à fide Catholica; an non passim malè loquatur de Pontifice, aut aliis articulis fidei. An verò parum suam sectam curet, & potius politicè quàm hæreticè vivat, & similia?

Sed ulterius inquirat Pontius in sua Appendice de hac materia cap. 6. An aliquando etiam cum periculo saltè remoto liceat sic contrahere, dummodo adsit gravis causa. Sine causa enim temerarium esset se exponere periculo, qui enim *amat periculum, peribit in illo.* Eccles. 3. v. 27. Quod autem hoc non sit temerarium ex causâ agere, probat exemplo Estheræ cum Assuero, & Judith cum Holoferno,

ferno, cuius libidini se evidentem exponere; Esther autem periculo idololatriæ. Quæ tamen à Spiritu S. laudantur. Quia tamen dici posset hoc fuisse factum per specialem instinctum Spiritus Sancti; sicut etiam alii sancti moti sunt ad faciendum id quod secundum humanam rationem, fieri non licebat; ideo ad rationem recurrendum est. & videndus S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 42. ubi distinguit periculum, ut sciatur quando licitum sit se illi exponere. Quando, inquit, periculum nascitur ex ipso facto, tunc factum illud non est expediens; puta quod aliqui per pontem ruinosum transeat fluvium; sed si periculum imminet ex hoc quod homo desicit ab illo facto, non desinit propterea hoc esse expediens, sicut expediens est ascendere equum, quamvis periculum imminet cadendi ex equo, aliquin oportere ab omnibus bonis cessare, quæ etiam per accidens ex aliquo eventu possunt esse periculosa. Periculum autem quod imminet per conversionis non dependet præcisè ab illo matrimonio, sed à suâ voluntate, ac proinde ubi tam magnum bonum commune id exigeret, liceret se tali periculo exponere.

Videatur etiam 2. 2. q. 10. a. 9. ubi expressè agit de communione cum infidelibus, & docet in corp. Si aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione eorum cum Infidelibus conversio infidelium magis sperari possit, quam fidelium à fide aversio; non sunt prohibendi Infidelibus communicare &c. maxime si necessitas urgeat;

urgeat; si autem sint simplices in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione, & præcipue ut magnum familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communi-cent.

Et ad 3. de Dominis habentibus servos infideles dicit: Magis est probabile quod servus qui regitur imperio Domini, convertatur ad fidem Domini fidelis, quam è converso, & ideo non est prohibendum, quin fideles habeant servos infideles, si tamen Domino periculum immineret ex communione talis servi, deberet eum à se abicere.

Ex quibus omnibus inferri potest non esse semper malum aut illicitum se periculo exponere, maxime propter magnum aliquid bonum. Et sic licita erunt talia matrimonia, de quibus est questio, quando præcedit promissio sincera conversionis; & interveniente magno bono communi, hoc etiam licebit sine tali promissione, dummodo securitas sit, quod Catholicæ turæ & liberè poterit in fide Catholica perseverare, & in eadem fide proles nutrire. Numquam licitum erit pacisci ut proles masculæ instruantur in religione hæreticâ, cuius est pater; licet permittatur ut femellæ instruantur in Religione catholicâ, cuius est mater.

Contra prædicta superest respondere ad sequentem objectionem: numquam est licitum aliquem admittere ad Sacramenta suscipienda,

aut

aut ministranda qui est in peccato mortali. Ergo numquam licitum erit aliquem admittere ad Sacramentum Matrimonii qui est hæreticus, quia ille indignè accedit & suscipit, nec credit matrimoniū esse Sacramentum, præcipuè secundum sententiam S. Thomæ, quod contrahentes sint Ministri hujus Sacramenti.

Resp. Non esse adeò intrinsicè malum conferre Sacramentum indigno ut id in nullo casu sit licitum. Uti patet, si peccator occultus publicè petat S. Eucharistiam. Non etiam censetur aliquis cooperari peccato alterius qui habet gravem causam aliquid faciendi, quod alter cum quo fit non vult bene facere, cum possit. Tum etiam licet contrahentes ministri sint hujus Sacramenti, quia tamen ad hoc ministerium non sunt consecrati, facere hoc possunt existentes in peccato mortali; sicut laicus qui in casu necessitatis baptizat. Ac proinde licet hæreticus peccet hoc Sacramentum suscipiendo; non tamen is qui cum ipso contrahendo administrat.

## ARTICULUS VII.

*Vtrum licitè contrahatur coram hæretico ministro postquam contractum fuit coram Sacerdote?*

**H**oc dubium movet Lessius ubi supra casu 24. & 25. Et respondet negativè  
Quod

Quod sic probat 1. Contrahere coram hæretico ministro videtur esse quasi professio quædam religionis hæreticæ, eò quod minister videatur adhiberi tamquam persona sacra, eò modo quo Sacerdos seu Parochus proprius solet adhiberi.

2. Ratione scandali; quia inde alii Catholici sensim ad consuetudines hæreticorum se accommodant

3. Ratione formulæ quæ adhiberi solet ab hæretico ministro, dum coram illo contrahitur; postquàm enim mutuo datâ manu contraxerunt, subjūgit minister hæreticus Flâdrico idiomate: *Den Vader der Bermherticheydt die u door sijne ghenade tot desen Heylighen staet des Houwvelycx beroepen heeft, verbinde u met rechte liefde ende trouwve ende gheve u sijnen segghen: Amen.* Quæ verba sic Latine transferri possunt: *Pater misericordis qui vos per suam gratiam ad hunc Sanctum statum matrimonii vocavit, alliget vos sincero amore, & fide, & det vobis suam benedictionem: Amen.* Quæ formula includere videtur spiritualement benedictionem & consequenter designare spiritualement ministrum. Et similis benedictio etiam sub finem subjungitur.

Respondetur tamen quæsitio affirmativè; quod non indiget aliâ probatione quàm quòd ita sit communis praxis in quibusdam partibus Hollandiæ & aliarum confederatarum Provinciarum

ciarum sine ulla Catholicorum contradictione. Imò hoc ibi sæpe aliter fieri non potest; si enim non contrahant, sicut ibi moris est contrahere, non habebitur ipsorum matrimonium pro legitimo, licet ante legitime contraxerint coram Sacerdote & testibus, hoc enim ipsi non curant. Unde mirum quòd P. Lessius contrariam sententiam tam firmiter teneat.

Resp. autem ad ipsius fundamenta; quod Minister hæreticus non aliter adhibeatur, quàm more politico; cum enim non credant matrimonium esse Sacramentum, non possunt ipsum habere tanquam pro ministro rei sacræ. Formula autem quæ adhibetur non habet rationem benedictionis spiritualis, sed politicæ appreciationis, sicut quicumque qui noviter nuptis gratulatur, solet apprecari. Absent etiam periculum scandali, cum tam Catholici quàm hæretici, nullatenus inde aliquam professionem hæresis; cum passim Catholici, & pro talibus ab omnibus habiti, sic soleant publice contrahere, aut potius antecederet contractum matrimonium renovare. Ut sic habeantur pro legitime conjugatis.

Fateor tamen quod ubicumque aliter fieri potest, numquam coram hæretico ministro sit contrahendum, melius etiam extra Ecclesiam, quàm intra illam sub concione. In illis tamen publicis conformare se debent Catholici, quantum salvâ Religione Catholicâ, & sine scandalo facere possunt.

Ex

Ex his etiam patet ad aliud dubium quod ab aliquibus movetur, utrum Catholicus licite ducat sponsam ad Ecclesiam ut ibi coram ministro contrahat. Si enim illa actio contrahendi non sit de se mala, multò minus ductio sponsæ ad illum actum. Dices: quod saltem non erit licitum ducere ad Ecclesiam Sponsam hæreticam, quæ non contraxit coram Parocho, nec coram illo contrahere intendit, quia tale matrimonium invalidum est. Resp. Hoc per accidens esse quod non contrahat aut contrahere velit secundum formam Conc. Trid. ducens enim sponsam ad Ecclesiam ad hoc nullatenus cooperatur, sed tantum ad actionem quam etiam facere potest Catholicus.

## ARTICULUS VIII.

*Vtrum liceat nuptias hæreticorū honorare suâ presentia aut aliquo munere?*

**H**oc dubium bis movet Lessius, semel ubi supra casu 26. & iterum tit. Mar. casu 18. Intelligimus autem quæsitum quando matrimonium tantum fuit contractum coram hæretico Ministro, & non coram Parocho

Pro parte negativâ Arg. 1. qui sui præsentia aut munere horat nuptias matrimonij sic contracti, censetur ipsum approbare & congratulari novis nuptis de re mala, intrinsicè, videlicet de conjunctione fornicaria quod licite fieri non potest.

2. Vix

2. Vix fieri hoc potest sine scandalò, præsertim si vir magnæ doctrinæ & auctoritatis fuerit, unde Catholici facillè colligerent quòd ipse suâ præsentia & munere illum contractum approbaret.

Resp. tamen affirmativè: Quia talis actio omninò est indifferens, nec talia convivia instruuntur pro approbatione talis matrimonii, sed potius ad servandâ amicitiam inter amicos & consanguineos, & ita non est fundamentum dicendi hoc esse per se malum. Nec sequitur quòd sic approbet istud matrimonium, cum ipsi displicere possit ex aliis motivis, eo modo quo si aliquis adesset convivio consecrationis alicujus Abbatis simoniacè promoti, per hoc non approbaret actionem simoniacam.

Et sic patet solutio 1. Arg. Ad 2. etiam dicitur quod si scandalum aliquod esset, in illo casu esset illicitum.

Nullum tamen ex se involvit scandalum, si res bene inspiciatur, maximè in partibus Hollandiæ & aliis confederatis Provinciis, ubi nemo inde acciperet occasionem scandali.

Improbandum tamen esset si Religiosus aut aliquis Sacerdos citra gravem causam illas nuptias honoraret, facilius enim inde occasio scandali sumeretur. Si autem matrimonium antea contractum fuerit coram Parocho aut alio habente facultatem, nulla est difficultas, uti patet ex supra dictis.

*De casibus tempore Pestis  
occurrentibus?*

**H**unc tractatum reliquis casibus volui specialiter subnectere, licet enim suis quæque locis, quæ hic dicturus sum, potuissent interferi; melius judicavi distinctè ab aliis, ea quæ huic materiæ propria sunt, discutere; & hoc exemplo magni illius & S. Præsulis S. Cardinalis Caroli Borromæi, qui postquam diversis Synodibus (quibus ipse cum quindecim Episcopis interfuerat) cuncta & singula quæ ad Pastoralem curam pertinent, resolvi curasset, tandem speciali titulo de curâ Pestilentia tractatum edidit, cujus hanc potissimam rationem dabat, quam suis ipsius verbis hic refero: *Tanta inquit illius, scilicet Pestis, vis est, tamque vehemens, ut cum occultè in omnes partes progrediens, brevè momento temporis, quasi repentino quodam impetu turbida tempestatis, homines obruat, teterissimi contagii metu omnes ferè consternantur. Quam ob rem eo pavore animi commoti atque obstupesci, plerique (tantum abest ut officii sui partes fortiter amplectantur) ut quasi è mentis sue statu reponè dimoti, ne cogitare quidem, nedum*

nostram deliberationes, consiliaque suscipere possint, quid in calamitate publicâ expediat, & quid planè necessarium sit. Alii verò eo metu affecti, dum humane prudentiæ cautionibus se tueri volunt, eam sibi sollicitudinem quæ tota mundana diligentia præsidii nititur, ita præposterè struunt, ut religionis, pietatisque Christiana, si non omnino obliviscantur, ejus tamen officia intermittant. Quibus voluit ostendere, quantum sit necesse, in tali perturbatione breviter ad manum habere illorum casuum resolutionem, qui tunc maximè occurrere possunt & solent. Ac proinde per distinctos articulos breviter illa quæ præcipuè scitu necessaria sunt percurram.

## ARTICULUS I.

*Vtrum Missionarii teneantur assistere populo suo peste infecto?*

**H**ujus quaesiti resolutio haberi poterat ex supra dictis tract. 1. art. 10. sed ibi ea quæ pericula vitæ tempore pestis concernunt, ad hunc tractatum rejeci.

Distinguere hinc possemus inter Missionarios qui sunt propriè dicti Pastores, & inter alios qui Pastorum adiutores, facultatem habent Pastoralia conferendi. Utrosque autem

ad

ad hoc obligari censeo, Pastores quidem ex officio, uti etiam alibi extra Missionem; alios autem, licet non propriè ex officio, tamen ex missione & sustentatione, ac proinde non solum ex charitate, sed quodammodo ex justitiâ; sicut enim hoc titulo obligantur alibi Pastores propter decimas, oblationes & alios Ecclesiasticos redditus, quæ per modum quasi mercedis ipsis contribuuntur, ita Missionarii ratione sustentationis.

Præterea omnino iniquum est, ut qui sive Pastores sint, sive Pastoralia speciali facultate administrant, illos qui ipsorum Ecclesias, seu domos frequentare solent, & quibus conscientias suas confidunt, & animæ suæ directionem committunt, tunc deserant aut assistere negligant, quando major est salutis suæ necessitas, ac proinde omnes quibus aliqua missio concredita est, percellere debent hæc verba veri Pastoris, Joann. 10. v. 11. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem & dimittit oves, videlicet propter periculum, quod sibi timet, & fugit.* Fateatur ergo Missionarius aut se esse mercenarium, ut assistat ovibus quæ ipsi commissæ sunt in tantâ necessitate.

Ad hæc audiatur S. Card. Borromæus ubi sup. cap. 4. n. 3. *Parochi autem animarumque curatores, tantum abest, ut eo tempore populum, cujus curam gerunt, aliquo modo desituant,*

ut fixâ animi deliberatione sibi statuendum putent, omnino prorsus etiam mortis pericula paratissimo animo subire potius, quàm fideles Christi sanguine redemptos, ac sibi precipuè in curam traditos, in summâ pœnè omnium adjumentorum necessitate deserere. Et cap. 13. n. 2 Parochi autem & Episcopi (idem dicendum de Missionariis) præclaro documento exemploque instructi, & propositâ in primis etiam sibi illâ immensâ charitate, quâ animas sibi in curam traditas Christus Dominus dilexit, pretiosoque sanguine, in arâ crucis profuso redemit, non modo unquam non erunt in anticipati deliberatione officiorum, quæ eis præstare debeant, sed nihil potius statuent, quàm illis in discrimine calamitateque versantibus, omne spirituale pabulum ministrare, etiam si vitæ periculum subeant, memoriâ & recordatione eâ excitati, quod sibi specialis cura commissa est, illas pascendi. In eâ etiam recordatione versabuntur, magnam sibi oblatam opportunitatem, cum ad vitam pro grege profundendam, tum ad operam suam ei utiliter, necessarioque navigandum, non sine præclarâ testificatione desiderii & zeli, quo exardescere debent, salutis animarum.

Et ut facilius metum quo averti possent abjiciant, sic prosequitur: In contagionis etiam periculo ob oculos sibi ponent præcipuam illam curam, quâ suos ministros Deus admirabiliter succur ab omnique periculo incolumes conservat, dum ad divinâ Majestatis gloriam, animarum-

que

que salutem procurandam, ministeria sua religiose conferunt. Id quod pestilentia superiori tempore animadverti licet, quo per pauci, aut fere nulli animarum curatores, qui in sua curâ bene gerendâ officio constantissimi, parochialibus suis peste tabescentibus, cum alia Sacramenta, tum extremam etiam Vnctionem ministrarint, mortem obierunt: contra verò qui à sui ministerii functione longè refugerunt, cum plures morte erepti fuerunt

Si rursus contra evenisset, hoc secum statuent, nihil Sacerdoti curam animarum gerenti optabilius, nihilque ad charitatis meritum fere præstantius, quàm pro animarum, quæ sibi suæque fidei concredita sunt, salute mortem oppetere. Imo verò non desuerunt sanctissimi viri qui scripserunt tale mortis genus à martyrii gloria, non longè admodum abesse.

Hæc verbotenus ex ferventissimo animarum Zelote vero Archiepiscopo & verissimo Pastore volui exscribere, ut ex ipsius doctrina, imò & exemplo, omnes Pastores & Missionarii ad parem zelum animentur. Et exemplo dico; quia fecit quod docuit; non enim deseruit gregem suum, cum Mediolani ubi Archiepiscopum agebat, Epidemicus morbus, seu pestilentia horribiliter grassaretur, sed tantus quantus erat, Cardinalis & Archiepiscopus visitabat ipsemet infectas domos, Sacramenta suis manibus conferebat, domesticam supellestem, nec relicto sibi

Iectulo, in pauperes eo morbo laborantes distribuebat. Et quo divinam iustitiam, à qua talia flagella ob hominum peccata solent infligi, placaret, publicam indixit Processionem, in qua ipse quasi solus reus prægravam humeris Crucem portabat, fune collo alligato, nudis pedibus, præ asperitate viarum multo sanguine cruentatis, ut ita se ipsum pro commisso sibi grege, tanto malo afflicto, Sacrificium propitiationis offerret. Et ita promeruit pro populo suo misericordiam, & continuum quasi in tali necessitate pro tota Ecclesia patrociniū. Sed jam ad speciales casus breviter resolvendo descendamus.

## ARTICULUS II.

*Qui modus observandus sit in conferendis  
Sacramentis tempore pestis.*

**S**upposito, quod excusari nullatenus possint Missionarij ab administratione illorum Sacramentorum, quæ in illis circumstantiis sunt ad salutem necessaria ( ut infra dicitur ) aliqui sunt qui probabilibus ( ut putant ) principiis innixi, pleraque immutant vel omittunt, quæ in tali periculo iudicant sufficere, ut tutius sic contagionem evitent.

Certum

Certum autem est quod nullatenus quidquam eorum, quæ ad substantialia pertinent, omitti possit. Sic enim invalidè Sacramenta conferrentur, quæ sine illis non possunt subsistere. Improbandum etiam est adhibere dubiam aut incertam formam aut materiam, dum certa haberi potest. Quod in primis ex S. Augustino colligitur lib. 1. de Bapt. c. 3. ubi dicit: *In rebus ad animæ salutem pertinentibus, hoc ipso graviter quis peccat, quod certis incerta præponat.* Est quod probabilitas opinionum, in aliis rebus aliquando securitatem conferat, nullatenus tamen in illis quæ ad salutem sunt necessaria: in quibus semper oportet tutiorem partem amplecti, nec animæ salus per id quod incertum aut dubium est, æterno discrimini exponatur. Ac proinde gravissimè peccat non sine sacrilegio, qui etiam pro defensione vitæ suæ, manifesto se periculo exponit faciendi nullum Sacramentum, & hoc pacto defraudandi infirmum effectum Sacramenti. Et sic exponit vitam spirituales proximi periculo æternæ damnationis, propter vitam suam corporalem. Dixi, *dum certa haberi potest*; si enim certa materia deest, præstat ministrare Sacramentum probabile, quam omnino nullum.

Accidentalia etiam quoad ritus & ceremonias non facillè sunt omittenda, per hoc enim ageretur in re gravi contra virtutem Religionis, & praxim Ecclesiæ quæ ad Sacra-

V 4

men-

mentorum effectum & abundantiorum fructum non parum conducunt. Et hoc dictum sit quantum ad ceremonias quæ ad Sacramentorum substantiam quàm proximè accedunt; & quæ in nullo casu solent ab Ecclesia omitti. Vix enim hoc fieri posset sine magnâ sacrorum mysteriorum irreverentiâ, & pusillorum scandalo; Per ceremonias enim illas actiones sacræ à prophanis quodammodo dignoscuntur, quibus omissis, v.g. si Sacramenta conferrentur sine signo Crucis, nullo exteriori cultu, habitu prophano, & paucis verbis, facile adducerentur in contemptum seu vilipendium: dummodo tempus ita permittat. Ita Chapeville in tract. de ministrandis Sacramentis tempore pestis c. 1. q. 43. & 44. & 47.

## ARTICULUS III.

*Utrum teneantur cum periculo vitæ  
peste infectos baptizare?*

**Q**UANTUM ad pueros certissimum est quod obligantur, cum enim illi sine Sacramento Baptismi salvari non possint, sunt in extrema necessitate, in qua, uti supra diximus tract. 1. art. 10. omnes debent proximo succurrere, etiam cum periculo vitæ corporalis, si proximus sit in extremo periculo vitæ spiritualis.

tualis. Et tunc omnes obligantur, Pastores quidem & Missionarii ex Officio & Justitia, alij autem omnes, etiam sæculares, in ipsorum defectu, ex charitate. Citantur quidem Cajet. 3. p. q. 68. ad art. 1. & Gerson. tom. 3. serm. de Nativ. Mariæ confid. 3. Quod pueri in necessitate solâ fide parentum aliquo signo exteriori expressâ, sine Sacramento Baptismi salvari possint, sed hoc omnino ab Ecclesia reprobatur, ideo etiam jussu Pij V. illud ex commentariis Cajetani expunctum fuit.

Et quoad adultos, verum quidem est, quod salvari possint solo actu contritionis seu Baptismo flaminis, non tamen per hoc excusabuntur Missionarii, si metu contrahendæ contagionis, ipsos baptizare refugiant; sicut enim adulti petere tenentur Baptismum aquæ quando habere possunt, alioquin ipsis Baptismus flaminis nullatenus prodesset, ita Pastores tenentur ipsos baptizare, dum possunt, sub peccato mortali, alioquin enim omitterent officium ad quod tenentur: Et ideo maximè, quia merito dubitari potest, imo timeri de Baptismo flaminis in illa perturbatione infirmitatis, cum ille requirat perfectam contritionem quæ non ita facilè tunc haberi potest.

## ARTICULUS IV.

*An eadem sit obligatio conferendi  
Sacramentum Pœnitentiæ.*

**N**ecessitas hujus Sacramenti non est tanta, quanta est Baptismi pro pueris, sine hoc enim pueri salvari non possunt, sine illo autem potest salvari peccator per contritionem, ob quam rationem Bartholomæus Fumus in suâ Armillâ aureâ verbo Episcopus n. 6. sic resolvit: *Prelatus pro administratione Sacramentorum, que non sunt de necessitate salutis, sicut Baptismus, sed sufficit preparatio animi, non tenetur se morti exponere, si autem se exponat periculo mortis, est signum magne charitatis.* Citat autem S. Th. 2. 2. q. 105 a. 1. ad 3. sed ibi nihil tale habet, Abulensis etiam q. 306. in c. 22. Matthæi ad 8. dicit *Pastores Ecclesia solum teneri ad exponendam vitam corporalem pro spirituali ovium, si aliter servari non potest.* Cum igitur peccator salvari possit per contritionem non habitâ occasione Confessarii, non videtur obligari Missionarius aut quicumque Pastor exponere se periculo vitæ, uti fieret si audiret confessionem peste infecti.

Nihilominus absolurè dicendum est, obligari, nec puto aliam esse mentem Auctoris Armillæ aut Abulensis in verbis citatis, uti

enim

enim statim dicitur, Sacramentum Pœnitentiæ in ultimo articulo, & in casu pestis regulariter est ad salutem necessarium in habentibus peccata mortalia.

Probatur 1. ex decreto Gregorij XIII. qui consultus à S. Carolo Borromæo, tempore grassantis pestis per Italiam, & maxime Mediolani, quoad residentiam Parochorum, approbavit hanc declarationem S. Congreg. *Parochi tempore pestis teneantur omnino residere in suis Ecclesiis Parochialibus: & si non resideant, agendum contra eos ex decreto c. 1. Sess. 23. scilicet Conc. Trid. & servatâ formâ ibi præscriptâ, ministrent verò Parochiam peste infectis. Sacramenta Pœnitentiæ & Baptismi per alios.* Ac proinde sive per se, sive saltem per alios, debent utrumque Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ administrare.

Pr. Ratione: Necessitas Sacramenti Pœnitentiæ saltem est gravis, pro existente in peccato mortali, & constituto in evidenti mortis periculo. Sed in gravi necessitate spirituali tenentur Pastores, & alii Missionarii succurrere, etiam cum periculo mortis corporalis, sicut ad hoc omnes fideles tenentur in extremâ necessitate ex charitate: ergo ex officio tenentur omnes Missionarii Sacramentum Pœnitentiæ conferre peste laborantibus, licet hoc fieri non possit sine propriæ vitæ periculo. Min. fundatur in illo Joan. 10. v. 11. *Bonus Pastor animam suam dat pro*

V 6

ovibus

*quibus suis.* Videantur quæ supra dicta sunt tract. 1. art. 10. concluz. 2.

Prob. 3. Non tantum necessitas ista censenda est esse gravis sed quasi gravissima, seu extrema; in necessitate autem quasi extrema idem sermandum est quod in extremâ, uti docere solent Theologi in materiâ Eleemosynæ, quod dives laboranti quasi extrema necessitate corporali, succurrere debeat non solum ex superfluis suis, sed etiam cum diminutione status sui. Ergo illi qui tenentur ex officio subvenire laborantibus in necessitate quasi extrema spiritali, facere id debent etiam cum periculo vitæ corporalis. Assumptum verò probatur: Qui mortis proximus est existens in peccato mortali, salvari non potest nisi per Sacramentum Pœnitentiæ, aut per contritionem perfectam: sed contritio perfecta summè difficilis est in tali constitutione, quando sensus adeo perturbati sunt, ergo est necessitas Sacramenti Pœnitentiæ, non tantum gravis, sed quasi extrema & gravissima. Moraliter enim loquendo, sine ipso salvari non possunt. Unde sequitur quod in defectu Parochi, aut proprii Missionarij quilibet Sacerdos teneatur. Prob. 4. Taliter constituti jus habent exigendi à suis Parochis, aut Missionariis, Sacramentum Pœnitentiæ, ergo ipsi obligantur ipsum administrare. Ant. est certum: quia ad hoc sustentantur Missionarij, ut necessitati spiritali succurrerent quando opus est. Imò non

non tantum jus habent hoc exigendi, sed ex præcepto divino tenentur exigere, nec enim prodesse potest, imò necesse perfecta contritio, quando in tali periculo confiteri possunt peccata ut Sacramentaliter absolvantur: Confirmari hoc potest verbis Cælestini Papæ in Epist. ad Episcopos Gallix: *Agnovimus, inquit, Pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desiderii annui, qui obitûs suis tempore, hoc anima sua cupiunt remedio subveniri. Horremus fateor, tanta impietatis aliquem inveniri.* Et subdit: *Quid hoc, rogo, aliud est quàm mortem morti addere, ejusque animam suâ crudelitate, ne soluta esse possit occidere?* Et concludit: *Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore speratam pœnitentiam denegarit.*

Quæres: Quid si Pastor moraliter certus sit peste infectum non habere conscientiam peccati mortalis, seu esse bene dispositum ad mortem, an saltem tunc excusari non possit ne se periculo exponat? Chapeaville de peste c. 3. q. 2. respondet affirmativè, citans pro se Major. In 4. dist. 23. q. 1. Nihilominus tamen nò putaverim vel in illo casu excusari, maximè si infirmus petat confiteri, quia sic etiam exigat jus suum. Præterquam quod nemo judicare certò possit se esse in statu gratiæ, cum ab hoc possit quislibet justus in momento excidere.

## ARTICULUS V.

*Vtrum sufficiat unum vel duo peccata audire, & sic absolvere peste infectum.*

**C**ertum est quod aliquando possit confessio validè fieri sine integritate materiali, id est, ita ut non omnia peccata quorum pœnitens conscius est in confessione exprimat. Omnis autem alius casibus qui passim referuntur à Theologis præsertim à Sylvio in supplemento q. 9. a. 2. quaest. 4. ille qui ad propositam difficultatem facit, est quando infirmus laborat morbo contagioso, & Confessarius non potest ipsum (etiam eminus) absque evidenti mortis periculo audire si diutius ibidem audiendo debeat immorari. Quod tunc sufficiet unum aut alterum peccatum audire, & monitum pœnitentem ut de omnibus doleat ipsum absolvere, tenent, ibi Sylvius citans pro se Suarez disp. 23. sect. 1. n. 1. Vasquez q. 91. a. 2. dub. 2. Bonacina disp. 5. de Sacra. Pœnit. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 4. num. 13. Coninc disp. 7. de pœnit. dub. 9. n. 75. & alios, Ratio autem est cui innituntur: Quia pœnitens excusatur ab integritate materiali confessionis, quando ex illa cum fundamento sibi timet notabile damnum corporis, honoris aut bonorum temporalium securum, licet iniuste,

justè, ex malitiâ Confessarij, uti passim tenetur, ergo similiter excusabitur Confessarius ab audiendâ integrâ confessione, ex quâ sibi timet securam pestem & mortem à pœnitente peste infecto. Nihilominus tamen censo non facile illam portam aperiendam, tam parva enim môra quæ ad integrè confitendum requiritur, non adeo augebit periculum infectionis ut propterea pœnitens ab integritate etiam materiali confessionis excusetur, aut potius excusetur Confessarius ne integram confessionem quoad omnia peccata audiat. Tum etiam quia inde nata est sequi notabilis in infirmo perturbatio, qui sæpè in illo discrimine maximè peccatorum suorum gravitatem sentit, cui difficulter persuaderi poterit, imperfectam illam confessionem sufficere, & sic rotus anxius facile ad desperationem salutis suæ propendebit. Animeretur igitur Confessarius, & in Domino confidat, qui potens est ipsum pro opere tam bono à contagione conservare.

Sed quid si infirmus velit confessionem generalem totius vitæ suæ facere, eo quod cum fundamento timeat numquam se rectè fuisse confessum; tunc enim sæpè timore divini iudicij oculos mentis aperit, quos erubescencia mundana clauserat. Utrum ad sic audiendam confessionem generalem sit obligatio?

Persistendo in sententia aliorum quos statim citavi, respondendum est negativè, cui addi

addi potest, quod verè dolens de omnibus peccatis dum directè absolvitur ab illis peccatis quæ exprimit, indirectè absolvatur etiam ab omnibus quæ fortè numquam bene confessus fuit, aut de quibus numquam sufficienter doluit. Et cum aliter jam facere non permittatur, ipse sufficienter satisfecit; maximè si sit valde scrupulosus. Non tamen ideo excusaverim semper Parochum aut Missionarium, maximè si inde timeatur gravis aliqua taliter pœnitentis perturbatio, fortè, quæ ipsum ad novum peccatum mortale disponet.

## ARTICULUS VI.

*Utrum sit obligatio sapius ejusdem pœnitentis confessionem audire.*

**H**Æc quæstio moveri potest de duplici genere pœnitentium, quorum aliqui ex scrupulis anguntur, ita ut sæpius etiam per diem, aut etiam singulis horis velint confiteri, nec unquam finis est. Alii ex impatientia dolorum infirmitatis, seu vi morbi pestilentialis, sæpè jurant & blasphemant, & similia peccata committunt, utrum toties quoties sic peccant, accedere debeat Missionarius seu Parochus, & ipsorum confessionem audire.

Quoad primum facilis est responsio, si persona

sona illa scrupulosa, obedientiæ aut iudicio Confessarii facilè se submittat; tunc enim nulla superest difficultas, moneri enim potest, ut scrupulos aut deponat, aut non curet, & perfecta resignatione iudicio Confessarii se subijciat, si autem adeo proprii sit iudicii ut momenti non credat, & desperationi sit vicina, tunc quidem aliquoties, non tamen toties quoties vult, permitti debet ut confiteatur; sed admonenda est, & animanda ut in Domino confidat, & anxietates suas Confessarii consilio deponat. Nec in hoc tædio affici debet Missionarius, talis enim anima in periculo statu est, & valde gravi necessitate, ut operæ pretium sit pro salute illius animæ, se ipsum periculo vitæ exponere.

Si dicas: non esse veram necessitatem, quando quis seipsum ex periculo, quod imminet, potest liberare; quod si non faciat sibi ipsi imputari debet suum malum seu periculum.

Resp. Inde sequeretur numquam debere proximum corripi, & sic correctio fraterna, quam adeo Christus Dominus per seipsum docuit, & mandavit, rarissimè obligaret, quia quisque sibi imputare deberet quod non se emendaret, cum posset.

Et ad secundum peccatorum genus, respondetur Missionarium debere paratum esse, toties quoties infirmus de novo mortaliter peccat, ad ipsius confessionem audiendam, & omnibus modis annitendum, ut tandem serio pœniteat, & à toties peccando abstineat.

## ARTICULUS VII.

*Quid agendum sit si duo vel plures in eodem lecto peste infecti decumbant.*

**C**Asus iste satis frequenter potest contingere, aut in publicis Xenodochijs, aut privatis pauperum tugurijs; Inquiritur ergo an si alii surgere non possint, aut ab invicem tantisper separari, alijs audientibus confessio debeat fieri?

Certum est id ratione Sacramenti nunquam exigi, cum ipsum ex naturâ suâ & institutione petat esse secretum, & nullatenus Publicum. Ac proinde non peccabit contra præceptum confessionis qui aliter quàm sic confiteri non potest. Aliundè tamen fieri potest ut peccet, dum non satis sibi fidit de eliciendo actu perfectæ contritionis, quæ sola sine Sacramento pœnitentiæ potest à peccatis liberare. Sufficere tamen unum aliquod peccatum confiteri, quod sufficiens sit pro Sacramentali absolutione, in vi cujus reliqua peccata indirectè absolvantur.

Idem dicendum est si simul multi sint in extremo periculo in aliquo Xenodochio, aut loco communi, qui singulatim audiri non possint. Tunc enim simul omnes audiri possunt aliquod peccatum proferentes, & sic simul

omnes

omnes absolvi, uti dici solet in naufragio, aut inopinato conflictu, aut simili aliqua necessitate.

## ARTICULUS VIII.

*Vtrum peste infectis Viaticum sit administrandum cum vitæ periculo.*

**Q**uia non est tanta necessitas Sacramenti Eucharistiæ, quanta est Baptismi & Pœnitentiæ, aliquibus visum fuit ad hoc Sacramentum administrandum nullam esse in Parochis aut Missionarijs obligationem, saltem cum tam magno vitæ periculo, quod in tali casu non potest non timeri. Nemo autem tenetur etiam ex officio, vitam corporalem exponere, nisi pro salute spirituali proximi: quæ salus ab hoc Sacramento non dependet, cum non conferat per se, sed præsupponat in sumente primam gratiam justificantem. Quod confirmari potest ex declaratione facta jussu Gregorij XIII. ex petitione S. Caroli Borromæi supra relata articulo 4. ubi tantum fit mentio Sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ, quod ista debeant peste infectis à Parochis ministrari. Cum igitur nulla fiat mentio Sacramenti Eucharistiæ, non videtur esse ipsius cum tanto vitæ periculo, obligatio. Pro quâ sententiâ citat Dianap. 3. tract. 4. de Sacram. Reso-

Resolut. 174. & p. 5. tract 3. Resol. 53. Molfestum, Major, Marchium de peste & alios.

Respondetur tamen etiam ex officio, aut quasi officio incumbere Missionariis dare Viaticum peste infectis.

Prob. 1. Omnes fideles sub finem vitæ obligantur etiam præcepto divino (uti communior est sententia) hoc Sacramentum recipere, ergo Parochi, & eorum agentes officium, uti sunt Missionarii, tenentur suis peste infectis S. Eucharistiam ministrare, debent enim suis subditis cooperari ut præcepta divina observent.

2. Hoc Sacramentum licet non directè per se, per accidenstamen & indirectè aliquando causat primam gratiam, videlicet, si quis non fuisset in confessione sufficienter dispositus ad gratiam per dolorem requisitum, quod facilè contingit in tanta mentis perturbatione; tunc poterit per hoc Sacramentum primam gratiam accipere præviâ attritione debitâ, & sic salvari qui sine hoc damnatus fuisset.

3. Quia S. Eucharistia non solum instituta est ut sit cibis spiritualiter sumentem nutriendus, sed etiam ut sit viaticum hominem confortans contra tentationes, quæ in ultimo mortis art. & præcipuè in infirmitate pestilentiae, quando est ab omnibus direlictus, solent ingruere.

Tandem etiam hoc confirmat praxis Ecclesiae, quæ valde ad hoc est sollicita, ut nemo ex hac vita sine hoc spirituali viatico discedat etiam tempore pestis; ac proinde scandalum

dalum esset in populo, si Parochus hoc negligeret, & populum suum sineret mori sine viatico, quod signum est quod ad ipsius administrationem obligetur. Fateor tamen, quod hæc obligatio non sit tanta quoad hoc Sacramentum, quanta est quoad Baptismum & Pœnitentiam, quæ sunt per se magis necessaria. Et sic patet ad objectionem supra in initio hujus articuli factam. Et ad Confirmationem, quod tantum sit argumentum negativum, quod sumitur ex declaratione Gregorii Papæ; quod autem solum mentionem faciat illorum duorum Sacramentorum, ideo est quia ipsa sunt magis necessaria, unde non bene inferitur, quod alia non debeant conferri, eo quod non sint adeo necessaria, sicut illa duo.

## ARTICULUS IX.

*Vtrum dari possit Viaticum aliquo instrumento.*

**A**liqui ut se præmuniant ab infectione in administratione hujus Sacramenti, propter periculum ex halitu & salivâ, si ipsum immediatè nudâ manu infirmo porrigerent, invenerunt varios modos sibi præcavendi, quos refert Chapeaville cap. 4. quæst. 30. & sequentibus: Et ex ipso Sylvius in supplement. q. 32. art. 3. concl. 4.

1. Modus

1. Modus est, Si ponatur consecrata Hostia in parva pyxide aut scurella, aut linteo puro, seu corporali, ut infirmus inde accipiat & sumat. Et hujusmodi mentionem facit Joannes Maior in 4. dist. 23. q. 1. fundatur autem in modo quo Christus videtur hoc Sacramentum dispensasse: videlicet quod consecratum panem fractum posuerit in catino, & sic tradiderit omnibus Apostolis, ut suis quisque manibus sibi Sacramentum acciperet & sumeret, quod colligitur ex ipsis verbis Christi: *accipite & comedite. Et clarius de calice: accipite & bibite ex eo omnes.* Obtulit ergo illis calicem consecratum, qui deinde per manus ad singulos deferebatur.

Hic modus non est secundum praxim Ecclesie, ac proinde non admittendus, posset quidem Ecclesia dispensare ut quis sibi ipsi hoc Sacramentum communicaret, uti dispensasse dicitur cum Maria Stuarta Regina Scotie, iniuste ab iniqua Elisabetha in Castro pro carcere detenta, ut acceptis secreto a Saecerdote Hostiis consecratis, quotidie unam ex illis propriis manibus sumeret, sed talis dispensatio non est trahenda ad alios, cum quibus non sic dispensatum est. Peccaret proinde qui tali modo infirmis ex peste Viaticum porrigeret. Nec in omnibus conformare nos licet modo quo Christus usus fuit, alioquin etiam vesperi post illum cibum sumptum deberet in Ecclesia Eucharistia distribui. Forre in Anglia seu Hibernia tempore Jo. Major, permittebat Ecclesia

eclesia sic facere. Sed servandus est semper ritus quem singula observant Ecclesie.

2. Modus est, Involvere Sacram Hostiam communi pani, & sic mittere ad peste infectos, ut ita simul sub pane sumant. Quem modum aliqui putant aliquando viguisse in Gallia, ut refert Chapeville, sibi suo tempore relatum fuisse.

Sed nec hic modus probandus, quem proinde etiam Chapeville improbat ipse, tanquam indignum tali Sacramento, ut potest quod tractat tanquam panem prophanicum seu communem Ad quem modum reducitur, alius quo sacra hostia includitur duabus aliis hostiis non consecratis, in extremitate madefactis ut sic concludantur ad invicem, & ita reverenter mittitur ad infirmum, qui monetur ut reverenter sumat. Et licet hoc aequaliter honestius fiat, non tamen prout decet, praterquam quod etiam hoc alienum sit a ritu & usu Ecclesie.

3. Modus est quo Sacerdos eminus accedens oblongiori forcipe aurea vel argentea, cocleari, aut simili aliquo instrumento Eucharistiam ori infirmi ingerit.

Praterquam quod hic modus periculosus sit, ne Hostia consecrata, aut aliqua ejus particula decidant, aut non satis bene in os hominis ex tali infirmitate inquieti imponatur, est valde indecens, & valde parum ex tantilla distantia presidij contra contagionem haberi possit. Alium modum suggerit Jacobus Manzinus

in tract. visitandi infirmos prac. 8. dub. 18. ut refert Diana p. 5. trac. 3. resol. 50. quem dicit praticare solitum D. Petrum de Marchis Archiep. Smyrnensem, in suâ Diœcesi, in quâ assidue quasi pestis urget. Sacerdos ponit reverenter particulam consecratam super folium paginæ albæ, extensæ super scabellum ad hoc paratum: & dictis verbis: *Domine non sum dignus*, &c. infirmus accedit, & lingua particulam reverenter sumit. Interim Clericus candelâ accensâ in summitate virgæ paginam comburit. Sed hic modus nullatenus tolerandus, tum quia est contra communem praxim Ecclesiæ, tum quia faciliè aliqua parva fragmenta Hostiæ consecratæ illi paginæ chartaceæ adhærent.

Præterea S. Carolus Borromæus in tract. suo de cura pestilentiæ, aliquoties sup. citato, hunc & alios modos ab Ecclesia non approbatos sic excludit: *At verò, in omni Sacramento, multoque magis in Sanctissima Eucharistiâ ministrandâ cavebit* (scilicet Sacerdos) *ut evitandi periculi causa, ne quid vel minimum quod nocivum sit administrationis ritum introducat, neve instrumentum, aliudve quid simile ad ministrationem pro digitis, vel adeo in us ipsis adhibeat.*

Quo etiam implicite caveatur alius adhuc modus, scilicet utendi chirothecis, vel alio modo digitos tangendi, ne os, aut saliva infirmi nudas manus inficiat. Qui sufficienter etiam

etiam excluditur à S. Carolo dum nihil pro digitis, aut in iis vult adhiberi. Ac proinde nuda manû quæ ad hoc consecrata seu benedicta est, debet Sacerdos hoc Sacro-sanctum Sacramentum contrectare & infirmis porrigere, committendo omne periculum Domino Deo, qui suos scit conservare, qui in ipso confidunt, & fideliter officio quod ipsis incumbit perfunguntur. Si autem per hoc permittat ipsos peste infici, æternâ gloriâ remunerabit, quæ omnem sanitatem & longam, vitam longè excedit.

Permittit tamen Sanctus ille Archiepiscopus Mediolanensis, ut tam in administratione hujus Sacramenti quàm aliorum, omnem possibilem cautelam Parochus adhibeat. *Quando, inquit, hominis peste affecti suspectivè confessionem audit, loco audiat qui aliquantulum à lecto distet. Cum verò sine magno illius incommodo id fieri potest, curet licet, ut ad fenestram, aut ostium, aut in porticum, aliumve locum aperiû accedat, ubi illi confitentem audiat, ut cubiculum declinet, in quo contagionis periculû timeri solet, eadem cautione in Sanctissime Eucharistiâ ministratione utatur.*

Alias cautelas consulunt Medici, videlicet ut audiens confessionem pestiferorum, non se ponat contra infirmum, sed ad latus aversâ facie, nec se ponat inter ignem & ipsum, nec etiam inter fenestram & infirmum, quando hoc congruè observari potest, ignis enim & aer venenum contagionis solent attrahere.

## ARTICULUS X.

*Virum liceat dare hostiam consecratam piis personis domi asseruandam ut ipsam si peste corripiantur, sumant.*

**H**anc quæstionem movet Chapeaville ubi sup. q. 36. Et dicit sibi relatum fuisse, quod ita factum sit in quodam Religioso Monasterio; quod perierint & impetrarint à suo Confessario (tempore quo Monasterium peste correptum erat) plures hostias consecratas, quas in sacrâ Pyxide asseruabant, & peste infectæ aliquam inde sumebant. Quæritur utrum hoc sit licitum?

Verum est quod in primitivâ Ecclesiâ permittebatur, ut S. Eucharistiam secum domum deferrent, quam suo tempore devotè sumebant. Quod patet ex S. Basil Epist. ad Cæs. Patritium ubi dicit. *In Alexandria & Egypto, unusquisque de populo habet Communionem in domo suâ, acceptam à Sacerdote Sacrificante, & distribuente.* Testatur idem Tertull. lib. 2. ad Uxorem: *Nesciat Maritus quid secretò ante omnem cibum gustes, & si severit, panem non illum esse credet qui dicitur.* Citat autem Sanctum Augustinum Sermone 156. de tempore, ubi nihil de hoc habet, sed serm. 252 Videatur de illâ antiquâ consuetudine Spondanus ad

an. 57.

an. 57. n. 43. ubi dicit illum usum fuisse introductum tempore persecutionis, quando non licebat sæpe ad Ecclesiam convenire. Citat autem de hoc plurium antiquorum PP. Testimonia; in quo usu fundabatur illa opinio seu abusus de quo est quæstio.

Insuper in concessione factâ Reginæ Scotiæ de quâ præcedenti articulo dictum est.

Respondetur tamen hoc non jam amplius in Ecclesiâ licere, sine speciali summi Pontificis dispensatione, qualem habuit piissima illa Regina. Usus autem ille primitivæ Ecclesiæ permittebatur illo tempore persecutionis, propter paucitatem & raritatem Ecclesiarum & Sacerdotum, & quando vigeat prima charitas, & Spiritus Domini erat in rotis. Postea verò refrigerante charitate. & pietate Christianorum, severè id prohibitum fuit: primò quidem in Ecclesiâ Occidentali tempore Hormisdæ Papæ, quando in Conc. Cæsar-augustano hoc abrogatum fuit sub Anathemate. Imò & in Toletano 1. c. 14. Et si statum hujus temporis consideremus, facilè apparebit quod ita omnino fieri decuerit, non tantum propter multorum tepiditatem, imò & impietatem, sed etiam quia passim malefici & sagæ, hoc Sacramento abutuntur ad sua maleficia perpetranda. Ac proinde nullâ ratione hoc amplius permitti potest, nisi accedente summi Pontificis dispensatione, qui in negotio tanti momenti non se facilem præbebit.

X 2

ARTI-

## ARTICULUS XI.

*Vtrum peste infectis etiam cum vite periculo conferenda sit Extrema unctio?*

**S**icut non est tantæ necessitatis Sacramentum Eucharistiæ, quantæ sunt Baptismus & Pœnitentiæ; ita adhuc minoris est Extrema-unctio. Nihilominus tamen etiam tempore pestis Pastores, & Missionarii Pastoralia munia obeuntes, tenentur hoc Sacramentum conferre, cum enim omnia Sacramenta sint ordinaria media ad salutem, illi qui ex officio tenentur salutem populi procurare, non debent illos, qui per pestem maximè illis indigent mediis, privare. Tum etiam, quia hoc non potest fieri sine magnâ perturbatione eorum, qui in tali anxietate sunt constituti, dum enim ab amicis temporalibus destituuntur, aliud non habent solatium, quàm ut mediis spiritualibus spiritualiter adjuventur:

Tum vel maximè, quia in illâ infirmitate crebra accedunt symptomata & deliria, ratione quorum capaces non sunt ad alia Sacramenta recipienda, & quia fieri potest, quod ante illa habuerint, & adhuc virtualiter habeant imperfectum dolorem qui est attritio, quæ sufficit ut cum Sacramento consequantur peccatorum suorum remissionem, rationabile est,

ut

ut conferatur ipsis hoc Sacramentum cujus solius capaces sunt.

Utrum autem hæc tanta sit obligatio in Parochis & Missionariis, ut etiam cum vitæ periculo, debeant administrare, multum inter Theologos disputatur. Nugno noster ad suppl. S. Thomæ q 33. a. 2. diffic. 2. mordicus tenet partem affirmativam, Sylvius autem q 32. ad art. 3. licet utrumque teneat probabile, magis tamen etiam adhæret sententiæ affirmativæ.

Omnes autem conveniunt, quod si non sit grave periculum vitæ, sit obligatio sub peccato mortali: hoc enim colligitur ex rationibus in principio hujus articuli positis. Quibus addi potest exemplum quod adferri solet de Duce aut milite in temporali militiâ, qui sæpe obligantur vitam exponere periculis majoribus propter aliquod bonum temporale, ergo multò magis Duces spirituales quales sunt Pastores, tenebuntur, cum aliquali saltem periculo vitæ, hoc Sacramentum conferre, quod plurimum confert ad vincendas tentationes in mortis articulo occurrentes, & ad disponendas magis animas ad consecutionem æternæ beatitudinis. Læve autem periculum esse censetur, in principio morbi, quando pestis non adeo invaluit, ut quoscumque accedentes inficiat. Ac proinde statim, ubi pestis aliquem corripuerit, poterunt hoc Sacramentum conferre. Poterit etiam conferri eminus oblongiori virgulâ oleo tinctâ.

Si autem adeo morbus invaluerit ut evidens sit infectionis periculum, regulariter non erit talis obligatio sub mortali peccato. Ita tenet Chapeaville ubi supra cap. 5 q. 2. & ratio est; Quia hoc Sacramentum non est medium necessarium ex divino præcepto, sicut alia, quibus nisi ponatur obex, sufficienter subvenitur salutis aeternae. Et sic non est gravis necessitas cui debent Parochi succurrere. Dixi, *regulariter* quia fieri potest, ut etiam sit gravis, imo ferè gravissima necessitas, videlicet quando per accidens conferre deberet primam gratiam eo quod existens in peccato mortali, capax non esset alia Sacramenta suscipiendi.

Quando autem tantum esset periculum bonorum temporalium, nullatenus potest hoc Sacramentum negligi, cum illi damno tantum prævaleat bonum spirituale, quod animabus ex hujus Sacramenti susceptione accrescit.

Pro coronide aliquid dicendum est de casu, quo aliquis in partibus missionis infirmaretur in publico Xenodochio, aut aliâ domo publicâ, & strictè sub pœnâ gravissimâ multæ, incarcerationis, aut exilii esset prohibitum, ne aliquis Sacerdos infirmos, sive peste, sive aliâ infirmitate laborantes accederet, utrum teneretur Parochus aut Missionarius tali se periculo exponere?

Resp. Ex dictis, teneri, si spes sit, quod succurrere poterit, & Sacramenta conferre. Si autem, moraliter loquendo, nulla talis spes afful-

affulgeat, eo quod per hæreticos ministros continuo & diligentissimè advigiletur, & sic expectanda tantum sit magna turbatio sine fructu, negotium Deo commendandum est, & sæculares Catholici mittendi, qui infirmum pro posse suo animent, & ad contritionem excitent.

Utrum singula organa sensuum tempore pestis singularim sint ungenda, superius resolvimus tract. I. art. 6.





## FORMA JURAMENTI

### *Professionis Fidei,*

#### Secundum Bullam Pii IV.

**Q**uia praxis est Catholicae Ecclesiae, ut illi qui ad fidem Orthodoxam convertuntur, antequam plenè admittantur, faciant abjuramentum errorum quibus in hæresi prius adhaerant, & verè fidei documenta profiteantur: opera pretium esse judicavi hic annexere formam talis juramenti Professionis Fidei prescriptam à Sanctissimo Dom. Pio IV. summo Pontifice, ut conformiter ad illam recenter conversi fidem Catholicam quam amplectuntur, profiteantur & hæretica dogmata abjurent.

Ego N. firmè fide credo & profiteor omnia & singula, que continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem celi & terra, visibilibus omnium, & invisibilibus: & in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, & propter nostram

nostram salutem descendit de calis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; & resurrexit tertia dissecundum Scripturas; & ascendit in caelum, sedet ad dextram Patris: & iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos; cujus regni non erit finis: & in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas; & unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, & exspecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi saeculi Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimes consensum patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta nova legis à Iesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his

Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholica ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemnè administratione recipio, & admitto. Omnia & singula qua de peccato originali, & de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio: Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistia Sacramento esse verè, realiter & substantialiter corpus & sanguinem, una cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantia panis in corpus, & totius substantia vini in sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constantè teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari: Similiter & sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertinendam: Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesiâ relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salis-

salutarem esse, affirmo: Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco; Romanoque Pontifici, Beati Petri, Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro: Cetera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesiâ damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo: Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in presenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retineri & consistere, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo, ac iuro: Sic me Deus adjuvet & hac sancta Dei Evangelia.

Hac formâ uti convenit præcipuè quando professio fidei sit publicè aut coram testibus ab illis qui publicè hæreticè antea fuerunt. Pro aliis autem privatis & qui secretè convertuntur, non est opus uti totâ illâ formâ, sed sufficiet brevior quam præscribit P. Thomas à Jesu lib. 8. de conversione omnium gentium procurandâ pag. 561. vel simili.

Ego talis, tali loco natus, coram N. & N. Sacrosanctis Evangeliorum me positus, eisque propriis manibus tactus iuro, me firmiter credere corde, & profiteri ore illam Sanctam fidem Catholicam & Apostolicam quam Sancta Romana Ecclesia credit, prædicat, profitetur & observat; & consequenter abjuro, revoco, abnego, & detestor omnem hæresim cujuscumque sit conditionis & sectæ extollentis se adversus Sanctam Catholicam Ecclesiam, & præcipuè illam cui hætenus adhasi. Item iuro me credere & profiteri ore, ubi exprimentur præcipui articuli contrarii hæresi, quam deserit, & subjungat: Iuro & promitto quod deinceps non aliter credam, nec dogmatizabo, nec à mihi subditis aliter teneri permittam. Sic me Deus adjuvet.

Instrui verò poterit in articulis fidei conformiter ad formam præfatam Pii IV. præcipuè incipiendo ab illis verbis sequentibus post symbolum. Ubi incipit: *Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones &c.* Quia ibi consequenter ponuntur ferè omnia, saltem præcipua, quæ modernis hæresibus in partibus nostræ missionis adversantur.

Cavendum autem ne personæ sic conversæ factâ hac fidei Professione, & derelictæ hæresis abjuratione, ulterius negligantur, maxime si rudioris ingenii sint, ne facillè denuò revertantur, sed quantum fieri potest in fide fovendæ sunt & confirmandæ.

PARÆ-

## PARÆNESIS

## Ad Missionarios.



Nrequam ab hoc opere propter vos suscepto, me expediam, ad exemplum Magni Gregorii Papæ in suâ *Cura Pastoralis*, denuò admonere vos volui; licet enim ipse omnes Pastores in primo operis sui tractatu docuisset quomodo se in seipsum disponere deberent ad muneri sui exercitium, concludere noluit, nisi novâ adhortatione eos incitaret ad tanti ministerii debitam executionem. Totus meus primus tractatus ad hoc solum collimabat, ut dignitatem missionis perpendentes, operemini tanquam digni illius Ministri, qui vos vocavit. Ad quod non parum animare vos debent verba ipsius boni Pastoris, quando Apostolos suos primos fidei Missionarios instituit Joannis 20. v. 21. *Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Hæc cum dixisset, insuflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum S.* Magna sanè dignitas, quod ita missi sitis à Christo, sicut ipsum miserat Pater suus. Sed per hoc admonemini, ut ita missionem vestram exequamini, sicut ipse suam executus est. Perpendite autem Angelici nostri Magistri illorum verborum expositionem. *Primò, inquit, præmittit pacis vinculum, se-*

X 7

cundò

*tunc adinjungit officium. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis, hoc dixit eis contra perturbationem duplicem : nam contra presentem à Iudais, dixit eis primò Pax vobis. Sed contra perturbationem factam à gentibus, dixit eis iterum : Pax vobis. Sup. 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem, nam ad gentes mittendi erant. Sanè tertio vobis dici potest qui missi estis ad hæreticos : Pax vobis, nolite timere eos qui vos persequuntur, vel ob bona temporalia quæ debetis contemnere, vel propter vitam quam debetis profundere pro ovibus vestris, & post hæc non habent amplius quod faciant. Et considerate id quod sequitur : Sicut misit me Pater, & ego mitto vos : Prosequitur S. Thomas : Hoc erat ad consolationem Discipulorum, qui cognoscentes auctoritatem Christi, sciebant eum mittere ipsos auctoritate divinâ, Item considerantes dignitatem propriam, scilicet quod habebant officium proprium Apostolicum. Apostolus enim idem est quod missus. Agnosce igitur Missionarie dignitatem tuam & divinæ missionis factus particeps, noli in secularem vilitatem degeneri conversatione redire. Pergit Doctor Angelicus. Sicut misit me Pater & ego mitto vos. Id est, sicut Pater diligens me misit in mundum ad passionem tolerandum pro salute fidelium, ita ego diligens vos, mitto vos ad tribulationes sustinendas pro nomine meo. Matth. 10. Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Secundo datur eis idoneitas officii per dationem Spiritus Sancti.*

*Hæc*

*Hæc cum dixisset insufflavit, & dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum. Si igitur missi estis à Domino sicut cum misit Pater, eadem potestate & sine, imitari debetis modum, & amorem quo ipse missionem exercuit. Modus ipsius fuit oratio qua se disposuit : Pro tribus annis quibus prædicare & pati voluit, triginta in solitudine in oratione consumpsit. Electurus Apostolos in oratione pernoctavit. Quatriduanum Lazarum resuscitaturus infremuit orationis vehementiâ. Passionem inchoaturus, in horto orando sanguineum sudorem expressit. Et non nisi clamans, orando Patrem, expiravit. Hunc modum præscripsit, quem imitemini. Nolite cogitare quod oratione perdati tempus, quod studendo possitis impendere. In templo inventus est ipse, qui est Sapiencia Patris dum perditus putaretur. Isaiaë labia cum mittendus esset, ignito calculo purgata sunt ut ad prædicandum redderetur idoneus, & hoc, calculo sumpto ex igne altaris, quo oratio significabatur. Israël's seu videntis nomen accepit Jacob postquam orando totâ nocte cum Domino fuisset luctatus. Si studium vestrum, quale esse convenit, sit ut divina videatis aut intelligatis, luctari debetis jugibus orationibus. Magis orandum est quam studendum, ipse enim quod dixit Apostolis, vobis dicit : Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illâ*

*illa hora quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Matth. 10. 19. Ut spiritus Sanctus per vos loquatur oratione imperandum est. Exemplum accipite in Sancto Patre nostro Dominico, qui antequam fratres suos per universum mundum prædicaturos dimitteret, in quem finem Ordinem suum instituerat, dum in Basilicâ Apostolorum Petri & Pauli ardentius oraret, uterque Apostolus oranti visibilibus apparuit, & Petrus quidem scipionem seu baculum, Paulus autem apertum librum porrexit, & ab utroque hæc verba audivit: *Abi Dominice & prædica, hoc enim ministerium tibi à Deo demandatum est.* Ac statim velut quondam Apostolos, sic Dominici caput formâ linguæ flammæ Spiritus Sanctus operuit. Et simul in visione prævidit filios suos Prædicatores, toto orbe dispersos, Evangelii præcones, fidei Catholicæ vindices, & veros Hæreticommastiges.

Moribus etiam bonis prædicare debetis, magis quàm verbis. Sic enim monet Timotheum suum Apostolus 1. Timoth. 4. 16. *Attende tibi, & doctrina, infra in illis: hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* Ubi S. Thomas: *Aliqui sic attendunt doctrina, quod sui curam negligant, sed Apostolus dicit, quod primo attendat sibi & postea doctrina.* Attendere ergo prius vobis ipsis debetis, ut à vitiiis purgemini. Ideo Moyfi mandatur

datur ut deponat calceamenta de pedibus suis, antequam ad liberandum populum mittatur, ut, inquit S. Ambrosius lib. de Isaac. c. 4. *Vocaturus populum ad Dei regnum, prius carnis exuvias deponeret, & nudo spiritu, vestigioque mentis incederet.*

Sanè in se sancti & puri esse debent qui volunt alios convertere. *Non enim sordes,* inquit, S. Gregor. *tergere possunt manus, quæ lutum tenent.*

Doctrina autem vestra non sit in sublimitate sermonis, sed in virtute Dei, *non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei.* 2. Cor. 2. v. 17. ad quæ verba noster Hugo Card. *Falsa admiscentes, & pro voluptate, non pro prole prædicantes. Adulteri enim non quarunt proles, sed delectationem: sic vani Prædicatores non quarunt fructum, sed ælestationem humana laudis.* Idem verò Hugo ad compescendam quorundam Prædicatorum vanitatem, ad illa verba Apostoli 2. Cor. 12. v. 14. *non enim quero vestra, sed vos,* adducit illud Matth. 4. 19. *venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Et insert: *Non dicit pecuniarum aut ranarum. Sed modo rete prædicatorum projectum non ad pisces, sed ad ranas, quia prædicatio non fit ad salutem hominum, sed ad propriam laudem, quod significatur per ranas loquaces.* Audite docentem vos suo exemplo Apostolum, 1. Cor. 2. v. 4. *Sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humana sapientia* verbis,

verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis; ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei.

Dilectio etiam seu amor quo Christus verus Pastor usus fuit, maximè consistebat in mansuetudine quâ oves suas non recipiebat tantum ad se recurrentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis, Luc. 15. 2. sed aberrantes quærebat, sicut ibi statim sequitur v. 4. Vadit ad illam ( scilicet ovem ) qua perierat, donec invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.

Tandem concludo verbis Sanctissimi Patriarchæ mei Dominici in Epistola exhortatoria quâ filios suos ad Apostolicum munus ad quod electi erant admonebat: Estote vigilantes, qui alios ad vigilantiam excitatis; calceati pedes in præparationem Evangelii. Fraternali charitate estote concordēs; humilitatis, & obedientiæ, vero Dei Patris filio vos exhibete conformes, ut Angelicum vestræ professionis officium condignis actibus honoretis, qui in salutis humanæ officium missi estis. Divinis aspectibus, in omni loco reverenter assistite, & proximorum adificationi fideliter ministrare; ut ignito prædicationis eloquio & salutari in Confessionibus consilio abundare possitis. Scripturas divinitus inspiratas, & legem Domini immaculatam, convertentem animas, audiendo, meditando scrutando, sectemini; studio semper utilium insistentes & curiositatis dispendium evitantes. Et quoniam

lin-

linguam vestram sacratissimis eloquiis consecratam, decet exhibere orationem charitatis, non officium vanitatis; sermo vester sit semper sale conditus, ut det gratiam audientibus: sit vobis sermo vivus, & efficax, omne vanum & non planum respiciens, & lingua placabilis, signum vitæ, verbum sanctum, & irreprehensibile, quod adversarius revereatur, quo adificentur proximi, & Dei gloria dilatetur. Ferveat in cordibus vestris animarum lucrandarum zelus ardens, & acutus, quem regat ratio, dirigat discretio, temporet converfatio mansucta. Et quoniam vos in eminentissimâ speculâ constitutos, oculi omnium respiciunt, & à vobis magis virtutum exempla requirunt, quàm ornamenta sermonis, mittamus manum ad fortia, digitis myrrham probatissimam distillantes, rigorem in operibus; perseverantiam in adversitatibus exhibentes: ut per patientiam, & consolationem scripturarum, spe conceptâ celestium, securâ mente convivium preguistemus in terris, quo nobis est in æternitatis abundantia perfruendum. Hæc nobis S. Pater noster Dominicus, & ego vobis Sic agite & erit vobis merces magna in cælis.

Omnia quæ in toto hoc opere, sive ex proprio, sive ex alieno sensu produxi, omni submissione, iudicio & censura S. Matris Ecclesie Catholice, extra quam non est solus, promptissimè subijcio.

FINIS.



# INDEX

Tractatum & Articulorum.

## TRACTATUS PRIMUS.

De Missione in communi.

- A**rticulis 1. de dignitate Missionis Apostolica. pag 1.  
2. Quae preparatio Missionem debeat precedere, & quomodo sit exercenda. 4  
3. An magis requiratur in Missionario doctrina, quam bonae vitae. 8  
4. De recta intentione, & fine hujus functionis. 11.  
5. De Eleemosynis quibus Missionarii sustentantur. 13  
6. Bonis exemplis debent edificare tam fideles quam infideles. 17  
7. De scientia requisita in Missionario. 21  
8. Docere debent sententias tutiores, non laxiores. 25  
9. Qualiter debeant populo predicare. 29  
10. Quando pro salute animarum debeant se exponere periculo. 34  
11. Quinam proprie censeantur esse Missionarii. 38.

12. Virum

# INDEX.

12. Virum omnes Missionarii sint Pastores. 40  
13. Virum Missionarius Regularis obligetur ad observantiam suae Regulae & Constitutionum. 43  
14. An Missionarii possint à Praefecto à Missione revocari. 46

## TRACTATUS II.

De Fide Internâ.

- A**rticulis 1. Quid sit fides. 48  
2. Quae dispositio requiratur ad bene, & fructuose credendum. 52  
3. Quae dispositio requiratur ex parte voluntatis. 55.  
4. Virum explicitè credere mysterium Incarnationis sit necessarium. 59  
5. An de necessitate mediè sit credere mysterium SS. Trinitatis. 68  
6. Quanam credenda sint necessitate praecepti. 70.  
7. An Catechumeni debeant plura explicitè credere quam alii. 73  
8. An licitum sit aliquos articulos pro tempore occultare à quibus Catechumenus abhorret. 75.  
9. An occultari aut simulari possit Pontificem Romanum esse caput Ecclesiae. 82

TRAC-

# INDEX.

## TRACTATUS III.

### De fide Externa.

- A**rt. 1. *Quando obligatio sit fidem exteriori actū consiendi.* 87
2. *An pro simulandā fide uti liceat verbis amphibologicis.* 91
3. *An liceat se negare esse sacerdotem aut Religiosum.* 93
4. *An interrogatus de fide tacere possit aut simulare.* 94
5. *An omittenda sit professio fidei quando nulla speratur utilitas, sed tantum timetur turbatio.* 100.
6. *Virum fideliliceat fugere tempore persecutio- nis.* 101
7. *Virum liceat simulatè exercere actiones falsa Religionis.* 104
8. *Virum licitum sit audire conciones hæreticorum.* 110.
9. *An licitum sit Catholico agere organistam aut aditum seu custodem templi hæreticorum.* 117.
10. *Virum Catholico liceat comitari funera hæreticorum.* 118
11. *Virum Catholico liceat uti vestibus hæreticorum, aut infidelium.* 120
12. *An liceat accipere fictas litteras testimonia- les*

# INDEX.

- les de hæresi, ut quis possit tutius proficisci in partibus hæreticorum.* 126.
13. *Virum ad occultandam fidem liceat omittere præcepta Ecclesie in vite periculo.* 129
14. *An diebus prohibitis ab Ecclesiâ liceat vesci carnibus apud hæreticos.* 133
15. *An famulus in gratiam Domini sui possit vesci carnibus diebus vetitis.* 138
16. *An liceat apponere carnes hæreticis diebus abstinentie.* 139
17. *An liceat Catholicis in locis hæreticorum aperire officinas diebus festis Ecclesie.* 140
18. *An sit licitum Catholicis opera servilia exercere illis diebus, in illis locis.* 141
19. *Virum liceat diebus festivis operarios hæreticos impendere.* 142
20. *Quæ obligatio sit audiendi Sacrum in locis Missionis.* 143
21. *Virum liceat Catholicis uti stylo antiquo ut se conforment hæreticis.* 145

## TRACTATUS IV.

### De Hæreticis.

- A**rt. 1. *Quod sit hæresis, & quis formaliter sit hæreticus.* 146.
2. *Quenam pertinacia requiratur ut aliquis sit formaliter hæreticus.* 149
3. *Quæ-*

## INDEX.

3. *Quenam ignorantia excuset à formali hæresi.*  
153.
4. *An dubius in fide sit hæreticus.* 160
5. *An hæretici pœnam Excommunicationis incurram ipso facto* 164
6. *In quibus liceat cum hæreticis communicare.*  
167.
7. *De communicatione cum hæreticis quoad spirituales potestatem Ordinis.* 169.
8. *Virum hæreticus retineat potestatem jurisdictionis spiritualis.* 171
9. *An licitum sit sepelire hæreticos notorios, non tamen denunciatos in loco sacro.* 176
10. *An locus sacer violetur per sepulturam hæretici non denunciati.* 177
11. *An Catholicus validè & licitè accipiat beneficium à patrono hæretico.* 178
12. *Virum liceat dare pretium Patrono hæretico pro beneficio sine simonia.* 180
13. *An Catholicus emere possint bona fidelium injusto bello ab hæreticis capta.* 184
14. *An liceat cum hæreticis publicè disputare.*  
188.

## TRACTATUS V.

### De Libris prohibitis.

- A** Rt. I. *Virum bene ab Ecclesia libri hæreticorum prohibeantur.* 195
2. *An*

## INDEX.

2. *An libri hæreticorum sint prohibiti sub pœna Excommunicationis.* 198
3. *Virum parvitas materia excuset in lectione libri hæretici ab Excommunicatione.* 202.
4. *An censeantur prohibiti libri unam tantum hæresim per transennam continentes.* 205
5. *Quinam libri censeantur ex professo tractare de religione.* 206
6. *Virum Bulla non tantum comprehendat legentes sed etiam audientes legi.* 208
7. *Virum facultatem habens legendi libros hæreticos, possit illos ex cursivitate legere.* 210
8. *Qualis retentio librorum hæreticorum prohibeatur in Bullâ Cene Domini.* 213
9. *Quinam sint defendentes qui in Bullâ Cene exprimuntur.* 216
10. *Virum in locis missionis liceat quibuscumque legere Biblia in lingua vulgari.* 217
11. *An passim permitti possit lectio controversiarum in vulgari idiomate.* 221

## TRACTATUS VI.

### De Baptismo.

- A** Rt. I. *Virum baptizati ab hæreticis sine rebaptizandi.* 223
2. *An Baptismus collatus ab hæreticis sit invalidus defectu debite intentionis.* 227
- Y**
3. *Virum*

# INDEX.

3. Virum aliquando iterandus sit Baptismus sub conditione. 230
4. Qualis ablutio requiratur. 234
5. Virum aqua rosacea sit materia Baptismi, saltem in casu necessitatis. 240
6. An liceat tradere infantem heretico ministro baptizandum. 241
7. Virum mater Catholica curare possit puerum à Catholico sacerdote baptizari, quem Pater hereticus vult baptizari ab heretico ministro. 246.
8. Virum Catholicus ut patrinus suscipere possit puerum ab heretico ministro baptizandum. 247.
9. An parentes catholici adhibere, aut admittere possint patrinum hereticum pro suis proli- bus. 250
10. Quanam instructio requiratur in adulto baptizando. 253
11. De Ceremoniis quibus modo Ecclesia utitur in Baptismo. 258
12. Virum pueri Iudaorum, & aliorum infidelium non baptizatorum, inuitis parentibus sint baptizandi. 262
13. Virum pueri hereticorum inuitis parentibus sint baptizandi. 273

# INDEX.

## TRACTATUS VII.

### De Confirmatione.

- A** Rt. 1. Virum omnes fideles baptizati te- neantur hoc Sacramentum suscipere. 275
2. Virum mortale peccatum sit hoc Sacramen- tum negligere tempore persecutionis. 280
3. An conueniens sit pueros confirmari ante usum rationis, in locis Missionis. 281
4. An hoc Sacramentum precedere debent alia Sacramenta. 284
5. Virum amentes confirmandi sint. 286
6. An requiratur patrinus qui confirmandum suscipiat. 288
7. De Ceremoniis quibus Ecclesia utitur in col- latione Confirmationis. 290
8. Virum Chrisma debeat singulis annis renova- ri. 293
9. Quis sit minister Sacramenti Confirmationis, 397.
10. An Episcopus in partibus missionis interdum etiam cum periculo vitæ Confirmationem con- ferre debeat. 399

I N D E X.

TRACTATUS VIII.

De Sacrificio Missæ.

- A** Rt. 1. *Qua necessitas requiratur ad celebrandum sæpius eodem die.* 302
2. *Virum aliquando liceat celebrare sacerdoti non jejuno.* 308
3. *Vtrum dubius an sit jejunus celebrare possit, aut communicare.* 313
4. *Vtrum infirmus sæpius communicare possit non jejunus.* 318
5. *Vtrum sacerdos aliquando possit celebrare sine ministro.* 320
6. *Vtrum aliquando licitum sit celebrare sine saceris vestibus.* 324
7. *De aliis requisitis ad Sacrificium Missæ* 328
8. *Vtrum grave peccatum sit celebrare cooperto capite.* 332
9. *Virum liceat celebrare in Ecclesiis hæreticorum, aut ubi ipsi sepeliuntur* 335
10. *An aliquando celebrare possit sacerdos conscius sibi peccati mortalis, sine præviâ confessione.* 338
11. *An nocturna pollutio impediât Sacerdotem, aut secularem à S. Communione.* 343
12. *An dari possit in communionem particula hostiæ majoris.* 349
13. *An Regulares habentes speciales ritus in celebrando*

I N D E X.

- lebrando, conformare se debeant in missione ritui Romano* 350
14. *An qui manè communicavit, si eodem die incidat in periculum mortis, possit iterum communicare per modum viatici.* 351
15. *An danda sit communio parvulis, amentibus, & surdis in mortis articulo.* 354
16. *Vtrum liceat moribundo accipere Eucharistiam ab Excommunicato denunciato* 359
17. *An in necessitate liceat viaticum accipere ab hæretico denunciato.* 363

TRACTATUS IX.

De Pœnitentia.

- Art. 1. **V** *Vtrum aliqui casus reservati sine Missionariis.* 365
2. *An recens conversus explicare debeat peccata ipsi hæresi involuta.* 367
3. *An ob multitudinem pœnitentium absolutio dari possit non integrè confessis.* 368
4. *Quid agendum sit cum pueris venientibus ad Confessionem.* 370
5. *An validè absolvat confessarius complicem suam in carnali copulâ.* 373
6. *De satisfactione pro gravibus peccatis injungendâ.* 375
7. *Qualia opera pro satisfactione Sacramentali injungenda sint.* 379

## INDEX.

3. *An absolvi possit moribundus qui nulla signa penitentiæ dedit.* 386

## TRACTATUS X.

### De Indulgentiis.

- Art. 1. **Q**uæ Indulgentiæ specialiter data sint pro partibus Missionis 394  
 2. *Virum Regulares in Missione habeant easdem Indulgentias, quas habent in partibus Catholicorum, & easdem confraternit.* 395

## TRACTATUS XI.

### De Extremâ Unctione.

- Art. 1. **A**N Extrema Unctio licitè conferatur oleo antiquo alterius anni. 397  
 2. *Quenam verba sint de essentia forma hujus Sacramenti.* 399  
 3. *Qualis infirmitas requiratur ut validè conferatur.* 400  
 4. *Quibusnam danda sit Extrema unctio.* 403  
 5. *Quenam partes corporis inungenda sint.* 404  
 6. *An singulatim organa sensuum ungenta sint.* 406.  
 7. *An hoc Sacramentum iterari possit in eadem infirmitate.* 408  
 8. *De effectibus Extremæ-unctionis.* 409

TRAC-

## INDEX.

## TRACTATUS XII.

### De Sacramento Ordinis.

- A**Rt. 1. *An solo titulo deputationis ad missionem possit aliquis ordinari ab Episcopo Vicario missionis.* 412  
 2. *An in Hybernâ liceat accipere Ordines ab Episcopo non proprio.* 414

## TRACTATUS XIII.

### De Matrimonio.

- A**Rt. 1. *An decretum Conc. Trid. contra Matrimonia clandestina, obliget in locis missionis,* 416  
 2. *An ab illo decreto contra matrimonia clandestina non sit ulla exceptio in Missione.* 424  
 3. *An exceptio à decreto illo Concilii per Episcopos extendi possit ad alios casus.* 429  
 4. *Virum valida sint matrimonia Catholicorum cum hæreticis.* 436  
 5. *Virum licita sint matrimonia Catholicorum cum hæreticis.* 438  
 6. *Virum talia matrimonia in nullis circumstantiis sint licita.* 443  
 7. *Virum licitè cõtrahatur corâ hæretico ministro, postquam contractû suum coram sacerdote.* 446  
 8. *Virum liceat nuptias hæreticorum honorare suâ præsentia aut aliquo munere.* 449

Y 4

TRAC-



I N D E X.

TRACTATUS XIV.

De casibus tempore pestis occurrentibus.

Ratio hujus Tractatus. 451

- A** Rt. 1 Virum Missionarii teneantur assistere populo suo peste infecto. 452
- 2 Quis modus observandus sit in conferendis Sacramentis tempore pestis. 456
- 3 Virum teneantur cum periculo vite pestes infectos baptizare. 458
- 4 An eadem sit obligatio conferendi Sacramentum Pœnitentiæ. 460
- 5 Virum sufficiat unum vel duo peccata audire & sic absolvere peste infectos. 464
6. An sit obligatio sæpius ejusdem pœnitentiæ peste infecti confessionem audire. 466
7. Quid agendum sit si duo vel plures in eodem lecto peste infecti decumbant. 468
8. An peste infectis viaticum administrandum sit cum periculo vite. 469
9. Virum dari possit viaticum aliquo instrumento. 471
10. An liceat dare hostiam consecratam piis personis domi asservandam, ut ipsam si peste corripiantur sumant. 476
11. Virum peste infectis etiam cum vite periculo danda sit Extrema Unctio. 478
- Forma juramenti professionis fidei. 482
- Parænesis ad Missionarios. 487

LICEN-

LICENTIA ORDINIS.

**C**ommittimus admodum Reverendis PP. Regentibus studii Lovaniensis examen libri cui titulus *Pastorale Missionariorum*, &c. compositi à R. admodum P. F. JOANNE BAPTISTA VERIUS S. Th. Doctore, quem si prælo dignum judicent, licentiam damus prælo mandandi, servatis servandis, Actum in Diffinitorio Capituli Provincialis Ord. FF. Prædicatorum Bergis S. winoci 7 Julii 1664.

Fr. ANGELUS HENNOTELLE Secretarius.

Censura Ordinis.

**E**X commissione nobis data à diffinitorio Capituli Provincialis Bergis S. Winoci nuper celebrati, legimus hunc librum cui titulus: *Pastorale Missionariorum*, &c. in quo reperimus variorum casuum in missione & alibi passim occurrentium dilucidas, & solidas resolutiones, nihil autem fidei vel bonis moribus repugnans, aut à communi Theologorum sensu devians; quo circa eundem librum prælo & publica luce dignum censemus. Datum Lovanii 1664. die 30. Julii.

F. THOMAS LEONARDI S. Th. D. & Regens Prtmarium.

F. JACOBUS CRAYE S. Th. Lic. Regens Secundarium.

Y 5

APPRO-



APPROBATIO

*Censoris Ordinarii.*

**P**astorale Missionariorum cum resolutione casuum in Missionibus apud hæreticos & alibi occurrentium, brevi & dilucidâ ac concinâ methodo à R. admodum atque Eximio Patre F. JOANNE BAPTISTA VERIUS Ord. FF. Prædicatorum, S. Th. Doctore elaboratum, nihil continet fidei ac bonis moribus contrarium; atque in utilitatem non tantum Missionariorum, sed omnium Pastorum, & eorum quibus animarum cura commissa est, prælo mandabitur. Datum Bruxellis 12. Junij 1664.

**I. CERON.** *Pastor B Maria de Capella, Archipresbyter Bruxellensis, librorum Censor.*

Reimprimi Poterit. Actum Antverpiæ,  
4. Juli. 1682.

**P. V. HALMALE** *Canon.  
Antverpia & Librorum  
Censor.*

**J. R. SCHEIFLER**



assuesce ista *Quoniam*  
et vita tua. *Quandam*  
picturam <sup>expressam</sup> et candelam ser-  
uans imaginem quam  
acceperunt. AMB. L. ii. Ep<sup>us</sup>





